SPECIMEN JURIDICUM INAUGURALE, DE LEGIBUS ROMANORUM...

Cornelius Josephus François

SPECIMEN JURIDICUM INAUGURALE,

DE

LEGIBUS ROMANORUM
AD INSTITUTIONEM PUBLICAM

PERTINENTIBUS.

TYPIS J. KIPS, J.H.FIL.
HAGAE COMITUM.

SPECIMEN JURIDICUM
INAUGURALE,
DE
LEGIBUS ROMANORUM AD PUBLICAM INSTITUTIONEM PERTINENTIBUS.

QUOD,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,
JACOBI CORNELII BROERS,
MED. CHIR ET ART. OBST. DOCT. MED. PROF. ORDIN.
ET
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU
NEC NON
NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN JURE ROMANO ET HODIERNO
HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
PUBLICO ET SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

CORNELIUS JOSEPHUS FRANÇOIS,
HAGANUS.

AD DIEM XXIV JUNII MDCCCXXXIV, HORA XII - I
IN AUDITORIO MAJORI.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD J. C. CYFVEER.
MDCCCXXXIV.

PATRI

Optimo. Carissimo.

PATRUO ET AVUNCULO

Dilectissimis

Sacrum

PRAEFATIO.

Specimen Inaugurale edituro jucundissimum mihi illud accidit, quod ita debitas agere possim gratias Viris Clarissimis, quorum egregia institutione usus sum in literis humanioribus et Jurisprudentia. Persuasissimum sit illis, me nunquam immemorem futurum, neque curae et benivolentiae, quâ studiosos juvenes prosequantur, neque institutionum et monitorum, quibus bonarum artium amorem in iis confirmare studeant.

In praeceptoribus autem meis Kapeynium Coppellonem laudare me jubet pietas animique mei desiderium. Virum praestantissimum ut pa-

trem reverebar. Felicemme judicabo, si quando exspectationi satisfecero, quam de me habere optimus vir suâ erga me benivolentiâ saepissimo declaravit.

De ipso specimine non est quod dicam: accipiatur benevole. Monentibus viris, quorum multum apud me valet auctoritas, e re meâ esse, ut doctoris gradum peterem, vir. clar. van Assen adii, ne argumento disputationis quaerendo tempus tererem. Auctor mihi fuit, ut de institutione publicâ apud Romanos scriberem; cui consilio me obsecutum esse, non poenituit. Promotor consiliis nunquam mihi defuit vir. clar., cujus in me merita praedicare, quantumque praeceptis monitisque valuerit ad animum meum excolendum, nequeo. Illam studiorum viam ingrediendo, quam ipse mihi saepe monstravit, probare studebo institutionis curaeque memoriam penitus animo infixam esse.

Commilitonibus valedico. Seiant amici, velim, utilissimam suavissimamque consuetudinem gratâ cum recordatione me semper animo repetiturum.

SPECIMEN JURIDICUM

INAUGURALE

DE

LEGIBUS ROMANORUM AD INSTITUTIONEM PUBLICAM

PERTINENTIBUS.

CAPUT PRIMUM.

DE LEGIBUS AD INSTITUTIONEM PUBLICAM PERTINENTIBUS USQUE AD CONSTANTINUM MAGNUM.

De legibus Romanorum, quae publicam institutionem spectant, disputaturo, locuples mihi auctor exstitit Modestinus l. 6. D. de excusat. De quo loco ita agere constitui, ut alios Pandectarum locos ejusdem argumenti conjungerem et pro viribus illustrarem. In altera speciminis parte de Caesarum constitutionibus a Constantino Magno usque ad Justinianum nonnulla notabo.

Non abs re tamen videtur primum quaedam monere de imperatoribus juvenum institutioni faventibus.

§ I.

De imperatoribus publicae institutioni faventibus usque ad Constantinum Magnum.

Imperatores romani, uti par erat, maximam habuerunt potestatem in iis rebus procurandis quae juventutis institutionem spectabant; philosophi non semper principibus viris grati fuerunt, nam plerumque non tantum Epicuri vel Stoae vel Academiae placita docebant, verum etiam saepissime de imperatorum rebus gestis et vitae ratione judicium ferre ausi sunt.

Nonnumquam seditiones ac discordias movere conabantur, pristinaeque gloriae et libertatis desiderio civium animos incendere, quod aegre tulerunt ii, qui armis saepe quaesitum imperium armorum etiam vi retinere debebant. Ne iniqui tamen judices videamur, omnino monendum est a primis imperatoribus usque ad extrema imperii romani tempora multos exstitisse homines, qui philosophorum pallio induti, auctoritate sua in civium animos abuterentur, et machinatione et calliditate effecerint, ut non tantum ignara juvenum mens circumveniretur, verum etiam ut prudentiores et aetate jam provectiores viri incitaren-

tur ad recuperandam libertatem, hominibus ad servitutem paratis perniciosam. Quam ob causam fortasse Domitianus omnes philosophos et rhetores non tantum ex urbe, verum e tota Italia pepulit (1).

Vespasianum ingenia et artes vel maxime fovisse, primumque e fisco latinis graecisque rhetoribus annua centena constituisse e Suetonio (2) constat; narrat tamen Eusebius (3), Quinctilianum ex Hispania Calagurritanum primum publica auctoritate scholam aperuisse, et salarium e fisco accepisse. Multi ex ejus ludo literatorum proceres exstiterunt, in quibus et Plinius junior fuit, qui in Epistolis Quinctilianum praeceptorem suum esse confitetur(4). Post impetratam studiis quietem, quae per viginti annos erudiendis juvenibus impenderat, libros de ratione dicendi composuit, ex quibus conficere possumus quomodo instituendi ratio tunc temporis fuerit, et qualem eam esse debere judicaverit vir peritissimus (5).

Antea tamen Hadrianus optime meritus est de professoribus, quippe qui, teste Spartiano (6), « quamvis

(1) A. Gellius XV. 11. Suetonius in Domitiana. C. 10.
(2) Cap. 18.
(3) In Chron. Olymp. 216 (aerae vulg. anno 88.)
(4) Plin. Epist. II. 14. 9 et VI. 6 3.
(5) Vid. quoque Quintilianus, Paedagogik und Didaktik mit Anmerkungen. von. Andres. Wareburg. 1783.
(6) In ejus vita. C. 16 Cf. quoque. C. 19. Philostr. de vitis sophist. lib. I. pag. 529. Conf. l. 16. § ult. D. de munerib. de qua infra.

esset in reprehendendis musicis, tragicis, comicis, grammaticis, rhetoribus, oratoribus facilis, tamen omnes professores honoravit et divites fecit, licet eos quaestionibus semper agitaverit. Et doctores, qui professioni suae inhabiles videbantur, ditatos honoratosque a professione dimisit. « Philostratus testatur, eum inter veteres imperatores maxime ad promovendum omne genus artium ac disciplinarum propensum exstitisse. Graecorum more seu Pompilii Numae caerimonias leges, gymnasia doctoresque curare occoepit, adeo quidem, ut etiam ludum ingenuarum artium, quod Athenaeum vocant, constituerit (1). »

Antoninus Pius philosophis honores et stipendia concessit, et quidem per omnes provincias; singula ab optimo parente data beneficia auxit et confirmavit. Hinc imperatores Diocletianus et Maximianus rescripserunt l. 4 cod. de Profess. « Oratione divi Pii liberalium studiorum professores non etiam calculatores (2) continentur. » Multis tamen quos otiosos esse videbat salaria substraxit, judicans, nihil esse sordidius crude-

(1) Aurelius Victor. cap. 14. Xiphilin in Jul. fin. Juvenalis Sat. vii. pr.

« Et spes et ratio studiorum in Caesare tantum
« Solus enim tristes hac tempestate Camenas
» Respexit. » —

(2) L. 15. § 5 D. de excusat. Calculatores sunt, qui artem numerandi docent. Graece ψηφισταί. Fragm. Vat. § 159. 150.

liusva, quam si rempublicam ii arroderent qui nihil in eam suo labore conferrent (1).

Nec minori Marcus Aurelius Antoninus philosophus liberalitate erga studiorum praeceptores usus est (2).

Aurelio imperatore mortuo mutata est imperii romani felicissima conditio; et nulli amplius imperatores fuerunt, qui cum Trajano, Hadriano et Antoninis comparari possint. Monendum tamen hoc loco adhuc videtur, Alexandrum Severum (3) rhetoribus, grammaticis aliisque salaria instituisse et auditoria decrevisse, et discipulos, pauperum filios, modo ingenuos, annonis donari jussisse. Inter sequentes imperatores pauci inveniuntur, qui literis favebant. Gordianum (4), M. Claudium Tacitum (5) et Numerianum (6) a scriptoribus laudatos videmus.

§ II.

De Grammaticis.

Modestini aetate, qui tum erant adolescentium praeceptores a muneribus civilibus vacationem habue-

(1) Capitolinus cap. 7. et 11. Herodian. Hist. I. 2.
(2) Xiphilinus LXXI. p. 815. Dio cass. LXXI. 31.
(3) Lampridius in ejus vita, Cap. 44.
(4) Jul. Capitol. 20. 30.
(5) Vopisc. in Tacit. 10
(6) Vopisc. in Numer. 11.

runt, quandoquidem non tantum a tutela et cura excusabantur, verum etiam ab aliis quibusdam muneribus, quae memorantur in capite quodam ex epistola Antonini Pii, quo constat philosophos, rhetores, grammaticos, medicos, immunes esse praefecturis Gymnasiorum, aedilicis curis, sacerdotiis, hospitum receptione, frumenti atque olei emptionibus (1) aliisque. Adde etiam Paulum l. 10 § 2. D. de vacat. et excusat. muner. docentem, angariorum praestationem liberalium artium professoribus inter cetera remissam esse de quibus singulis immunitatibus suo loco dicemus.

Publici muneris excusationem libera republica jam habuerunt, Cicero enim ait lib. IX. Ep. 6. « quae igitur studia magnorum hominum sententia vacationem habent etiam publici muneris, iis, concedente republicâ, cur non abutamur. » Cajus Julius Caesar omnes liberalium artium professores, quo libentius et ipsi urbem incolerent, et ceteri appeterent, civitate donavit (2). Atque Augustus cum Antonii Musae operâ afflictam valetudinem recuperasset, universo medicorum ordini immunitatem largitus est (3).

Exstat etiam Vespasiani et Hadriani rescriptum de immunitate L. 18. §. ult. D. de muneribus et honorib.

Sequimur Modestinum ducem, primo loco grammaticos memorantem. Scripsit Jctus Graeco sermone

(1) L. 6. § 8 D. de excusat.
(2) Suetonius in ejus vita, cap. 42.
(3) Dio Cassius lib. 53. pag. 592

cujus verba non semper accurate in vulgatis Corporis Juris editionibus reddita sunt (1).

Olim grammatica Romae non in usu fuit, nedum in ullo honore, rudi scilicet ac bellicosa civitate; ejusque initium mediocre exstitit, profitentibus eam artem non nisi semigraecis et libertinae conditionis hominibus. Sed praecipue post Q. Metelli tempora crevit grammatices honor, ut ne clarissimi quidem viri ab ea se abstinerent, et nonnumquam super viginti celebres scholae in urbe florerent (2); nam magni faciebant Romani grammaticam, et libera republica et sub imperatoribus. Sic quoque Quinctilianus insignem huic arti laudem tribuit (3): « quo minus sunt ferendi, ait, qui hanc artem, ut tenuem et jejunem, cavillantur: quae nisi oratori futuro fundamenta fideliter jecerit, quidquid superstruxeris corruet: necessaria pueris, jucunda senibus, dulcis secretorum comes, et quae vel sola omni studiorum genere plus habet operis quam ostentationis. »

Ne tamen statuamus nullas omnino opportunitates adfuisse, ut doceretur juventus; nam diserte Livius (4), narrans illud in urbe nefas, ab libidine

(1) Vid. Comm. Ant. Augustin. ad Modestinum de Excusat. (Thes. Otton. IV. pag. 1571.) Cujac. Comment. ad. l. 6. § 1—12. D. de excus. Ev. Otto. de Aedilib coloniar. et municip. cap. vi. § 3—9.

(2) Suet de illustrib. grammaticis. c. 3.

(3) De Inst. Orat. I. 4.

(4) Lib. iii. c. 44. Cf. lib. v. c. 27. et lib. vi. c. 25. vid. B.

ortum, haud minus foedo eventu, quam quod per stuprum caedemque Lucretiae urbe regnoque Tarquinios expulerat: nimirum quum Ap. Claudium Virginis plebejae stuprandae libido cepit, scripsit: « virgini venienti in forum (ibi namque in tabernis literarum ludi erant) minister decemviri libidinis manum injecit: perinde uxor L. Virginii, virginis patris, instituta fuerat liberi instituebantur. » Cum paedagogis in ludos mittebantur, ac mos erat Faliscis, ait Livius (1), eodem magistro liberorum et comite uti, simulque plures pueri unius curae demandabantur. Nonnumquam illi puerorum comites, ducentes eos in ludum et reducentes, etiam manserunt cum illis ibidem; donec magister seu praeceptor docere desineret; ut sic alumnum quoque interrogare de rebus illic audiitis possent. Hinc Quinctilianus « Paedagogus at unus sit assiduus dicendi non imperitus, qui, si qua erunt a pueris praesente alumno dicta vitiosa, corrigat protinus (2). » Horatii pater ipse filio custos aderat incorreptissimus (3).

van den Velden, commentatio ad quaestionem literariam de educatione et institutione apud Romanos in Annalibus Academiae Gandavensis. 1819—1820.

(1) Lib. v. cap. 27.

(2) De Inst. orat. I. 4. Quint. I. 1. 14. « De paedagogis hoc amplius, ut aut sint eruditi plane, quam primam esse curam velim, aut se non eruditos esse sciant. » vid. Oudendorp. ad. Suet. vit. in Nerone. c. 22. pag. 671.

(3) Satyr. I. 6. vs. 81. Cf. omnino Schwarz. Erziehungslehre.

Manifesto igitur patet ludos Romae fuisse ante ea, de quibus apud Suetonium sermo est, tempora: illa aetate accidit quod Horatius canit, (1) « Graecia capta ferum victorem cepit », nam omnis institutio apud eos Graeca fuit, quamquam nonnulli ad suam utilitatem cum Graecis Latina conjunxerunt (2). Non tantum Romae a Graecis hominibus docebantur, verum nobilissimi juvenes Athenas mittebantur, ut philosophos audirent. Summa ibi doctoris auctoritas fuit et urbis, quorum alter tironem scientia augere potest, altera exemplis.

Gorgias Leontinus primus Athenis eloquentiam docuisse dicitur, atque Isocrates in insula Chio docuit, postea vero Athenis et philosophiam. Aeschines in insula Rhodo scholam aperuit, quo multi romani juvenes, eorumque nobilissimi, confluxerunt (3).

Plerique docebant privatim, in cellulis et pergulis, quae erant tabulata ex aedibus prominentia, saepe magno aere conducti, quo pertinet l. 71. D. pro socio qua continetur fragm. Alfeni Vari, cuius verba haec sunt: « Duo societatem coierunt, ut grammatica doce-

Leipzig. 1813. 4. B. 1. Abth. versionem belgicam hujus operis partis, historiam educationis exhibentis, edidit J. Klein. Utrecht. 1130.

(1) Epist. lib II. 1. vs. 156.

(2) Cic. de off. I initio.

(3) Cf. Philostrat. in Apollon. Athen. et Meursins de fortit. Athen. c. 8.

rent, et quod ex ejus artificio quaestus fecissent, commune eorum esset: de ea re, quae voluerunt fieri, in pacto convento societatis proscripserunt.»

Judicant interpretes (1) Alfenum Grammaticam artificium vocasse propter uberrimas et ingentes mercedes, quas docendo sibi acquirere solebant, quia artem liberalem velut artificium aliquod venale, tractabant, ut ait Seneca Epist. 103. Petronius (2) artificia literis opponit: «literis satis inquinatus est, quod si resiliherit, destinavi illum artificium docere, aut tonstrinum, aut praeconem, aut certe causidicum.»

De ludi literarii magistris, pueros prima literarum elementa et scribendi artem docentibus, accipi hic locus minime potest; quippe qui a Grammaticis diserte distinguuntur. «Primus in eo, qui legendi scribendique adeptus erit facultatem, grammaticis est locus,» ait Quinctilianus (3); nulla illi gaudent immunitate, quod docet Modestinus l. 11. §. 4 D. de mun. et honor. «Eos qui primis literis pueros inducunt, non habere vacationem D. Antoninus rescripsit.» Et Ulpianus l. 2. §. 8. D. de vacat. et excusat. muner. «qui pueros primas litteras docent, immunitatem a civilibus muneribus non habent;» addit Jctus: «Sed ne cui eorum, id quod su-

(1) Otto in Alf. Varo Thes. V. p 1661 Sc Gentilis. parerg. I. 1. Thess. Ott. IV. Otto de Aed. p. 190. de Alfeno egit van Eyk, in Diss de Alfeno Varo Jcto Romano. Leid. 1831.
(2) Satyric. Cap 46. vid. Burmann ad h. l.
(3) Lib. I cap. 4. 1. de I. O.

pra vires sit, indicatur, ad Praesidis religionem pertinet, sive in civitatibus, sive in vicis primas literas magistri doceant.» Ex illa lege obiter monendum est, tales praeceptores etiam in vicis docuisse, quod de Grammaticis ceterisque magistris affirmare non audeo. Juvat hoc loco memorare Horatii locum, Sat. I. 6. vers. 71. Sqq. ubi ait, patrem noluisse eum in Flavî magistri Venusini ludum mittere, sed ausum esse puerum Romam portare docendum artes.

Neque habentur professorum numero, sed tamen usurpatum est, ut iis quoque a praesidibus provinciarum de mercede jus dicatur. l. 1. §. 6. D. de extraord. cognition. Neque enim eorum mercedes tantae erant, ut stipulatio societati subjecta (1) ad eos referri possit.» Deinde inter se his verbis stipulati sunt, haec, quae supra scripta sunt ea ita dari, fieri, neque adversus ea fieri: si ea ita data, facta non erunt, tum viginti millia dari?» Orta est quaestio, utrum, si quid contra factum esset, actione societatis agi posset, an vero actione ex stipulatu uti deberet. Ratio dubitandi haec fuit; nimirum duo illi homines coierunt societatem, non varo totorum bonorum, quam Graeci κοινωνίαν, aut melius κοινοπραξίαν specialiter appellant, sed unius alicujus negotiationis, nempe grammatices professionis, quam in commune exercere volunt. Nihil de partibus lucri et damni con-

(1) L. 71. D. pro socio

veniat nominatim, quam ob causam aequales partes et in lucro et in damno spectantur. Si solvatur societas, oritur actio pro socio, quae est personalis, bonae fidei, et datur socio contra socium ad conferenda bona communia, ac tenetur, si quid dolo commiserit, et etiam culpae nomine, quae tamen ad exactissimam diligentiam non dirigenda est (1). Sed deinde stipulati sunt verbis illis, quae modo laudavimus. Dici igitur potest, totam rem in stipulationem translatam esse, atque ideo actione ex stipulatu agendum esse; nam novatione tollitur prior obligatio; quod omnino verum esset, si ita stipulati essent: *haec ita dari fieri spondes?* et quidem si novationis causa id fecissent, nam inter veteres constabat, tunc fieri novationem, cum novandi animo in secundum obligationem, itum fuerat; ut ait imperator §. 3. I. quib. mod. toll. oblig. At non ita stipulati sunt, sed poenam duntaxat addiderunt, et ideo societatis judicio uti possunt.

Non tamen semper operas suas, ut alii artifices, locabant pro certa mercede, quia doctrina nummo aestimari nequit, sed laboris remunerandi gratia honorarium iis dabatur. Sic enim Seneca (2). «Emis a bonarum artium praeceptoribus studia liberalia et animi cultum. Itaque his non rei pretium, sed operae, solvitur, quod deserviunt, quod, a rebus suis avocati, nobis vacant, mer-

(1) Inst. tit. de societate.
(2) Lib. VI. de benef. 15.

eedem non meriti, sed occupationis suae ferunt. »

De mercedibus praeceptorum, (nam ea, quae disputavimus, non tantum grammaticos, verum omnes doctores spectant) pauca adhuc notabimus e Suetonii libro de illustrib. grammaticis, nimirum ibi legimus, (1) L. Apulejum quadringenis annuis ab Esinio Calvino esse conductum, totidemque Remmium Palaemonem ex schola accepisse (2). Verrius Flaccus centena sestertia in annum meruit, (3) et Marcus Antoninus Gnipho, numquam de mercede pactus, eoque plura ex liberalitate consecutus est (4).

Servi nonnumquam disciplinis vel artibus instituebantur eo consilio, ut domini inde lucrum vel commodum capere possent. Memorat Seneca epist. 27 Calvisii Sabini servos Grammaticos, unum qui Homerum teneret, alterum qui Hesiodum, singulos centenis millibus emtos fuisse. Addimus Plinii (5) verba de Lutatio Daphni pretium hominis in servitio geniti maximum ad hanc diem (quod equidem comperenim) fuit grammaticae artis Daphni, Gnatio Pisaurense vendente, et M. Scauro principe civitatis sestertia decem licente. »

Non tantum domini, verum etiam usufructuarii servos instituendos curabant, cujus rei l. 27. §. 2. D. de usu-

(1) Cap. 3.
(2) Cap. 23.
(3) Cap. 17.
(4) Cap. 7.
(5) Hist. lib. 7. c. 39.

fructu exhibet exemplum, (6) quo loco ait Ulpianus » si servi ususfructus legatus est, cujus testator quasi ministerio vacuo (1) utebatur, si eum disciplinis vel arte instituerit usufructuarius, arte ejus vel peritia utetur. » Nimirum non potest usufructuarius res in aliam formam transmutare, quod de aedibus docet Ulpianus (2); excolere enim, quod invenit, potest, qualitate aedium non immutata; et e Neratii (3) libris constat, usufructuarium jure suo aedes immutare non posse, tametsi causam domini excolendo aedificium meliorem facturus esset, aliud enim est, tueri quod accepisset, an novum faceret.» Itaque dici potest: qui servum acte vel disciplinis instituerit, idem, quod ille, facit, qui novum tectorium parietibus, qui rudes fuissent, imposuerit; nam, quod ad jus, domus et servus idem sunt. Sed multo humanius et beniguius judicarunt Icti, servum literis addiscendis non prorsus mutari sed excoli; et sicut fructuarius tabernos, quibus solitus fuit dominus uti ad merceasuss vel ad negotiationem, etiam ad alias merces locare potest, (4) sic etiam arte vel peritia servi utetur, quem instituendum curaverit. —

(1) Cf. not. Schult. et Small. ad h. l.
(2) Ministerium vacuum: quod non est uni aut certo officio aut arti designatum, et contra omni operi vacans. Noodt. de usufructu. Lib. I. 16.
(3) L. 13. §. 7. h. t. de usufr.
(4) L. 44. h. t.
(5) L. 27. h. t. § 1.

§. III.

De Rhetoribus, Sophistis et Oratoribus.

In superioribus jam quaedam monuimus de beneficiis quae ab imperatoribus romanis rhetoribus concedebantur: quae de grammaticorum mercedibus disputavimus de aliis quoque praeceptoribus dici possunt (1). Perinde ac grammatica rhetorica quoque sero apud eos recepta est, paullo etiam difficilius, nam nonnumquam prohibitum fuit eas artes docere, quod videmus ex Edicto censorio et veteri senatus consulto, quae a Suetonio referuntur (2). Unde manifesto patet jam statim ab iis temporibus, quibus literarum studium Romam introductum est juventutis institutionem admodum cordi fuisse principibus in civitate viris. Cavebant inprimis Censores, qui morum curam gerebant, ne juvenes ab antiqua integritate detraherentur. Postea vero magnopere illud studium, quo homines eloquentia imbuerentur, floruit, multique rhetoricam docuerunt. Memorabilis locus est Ciceronis de orat. III. 24, ubi Crassus ait, etiam Latinos, si diis placet, magistros dicendi exsti-

(1) Socrates sophistas cum scortis contulisse dicitur. Xenoph. Mem. 16. 13.

(2) De claris rhetoribus. 1 et A. Gellius Noct. Att. Lib. 15 cap. 11.

tisse; ante hoc tempus fere omnes Graeci fuisse videntur; qui tamen non omnia tenerent, quibus instituendi erant juvenes, ob eamque causam juventus dedisceret paene discendo. Sed Latinos ille censor edicto sustulerat; non quo acui ingenia adolescentium nollet, sed contra ingenia obtundi noluit, corroborari impudentiam. Nam apud Graecos, cujusmodi essent, videbat tamen esse, praeter hanc exercitationem linguae, doctrinam aliquam et humanitatem dignam scientia; hos vero novos magistros nihil posse docere intelligebat, nisi ut auderent, quod etiam cum bonis rebus conjunctum, per se ipsum est magnopere fugiendum. Hoc quum unum traderetur, et quum impudentiae ludus esset, putavit esse censoria, ne longius id serperet, providere. Quamquam haec non ita se statuere atque decernere dicit, « ut desperet, Latine ea, de quibus disputaverant tradi ac perpoliri; patitur enim et lingua nostra et natura rerum, veterem illam excellentemque prudentiam Graecorum ad nostrum usum transferri; sed hominibus opus est eruditis, qui adhuc, in hoc quidem genere, nostri nulli fuerunt: sin quando exstiterint, etiam Graecis erant anteponendi. » Discimus ex hoc Crassi censoris edicto, ne libera quidem republica omnibus, qui vellent, licitum fuisse juvenes docere, quod neque Athenis permissum fuit (1).

(1) Hac de re universe monuit Vir. clar. van Assen, in a

Libera republica huic arti operam dabant Quirites, ut in foro regnare possent et civium animos regere, atque ad summos pervenire honores. Sed cum evanuit libertas, periit eloquentia, quae cum illa tam arcte conjuncta videtur, quaeque inprimis floret turbulentis reipublicae temporibus. Imperatoribus summa rerum tenentibus, declamationes in scholis tantum habebant, vel Caesarum aut amicorum laudationes pronunciabant. Valde tamen iniqui videamur statuentes, nullos omnino illis temporibus disertos exstitisse oratores, qui gloriosae vocis confisi munimine laborantium spem, vitam et posteros defenderint (1), vel aliis occasionibus orationes egregias habuerint.

Animadvertendum est, Modestini in quo versamur loco mentionem fieri de Sophistis et Rhetoribus, unde conficere possumus, ut videtur, diversas fuisse eorum docendi partes (2). Sophistae accipi non possunt pro philosophis quamquam hi etiam excusationem habent a tutelis, ut Paulus scripsit et Ulpianus (3); nam eorum munus praecipue fuit juvenes

Epist. over de vrijheid van spreken en schrijven te Athene en te Rome, (quae inveniuntur in van Kampen, magazijn voor wetenschappen enz. Tom. X P. 1.) Cf. Pollux Onom. IX. 5.

(1) L. 14. cod. de advoc. divers. judiciorum

(2) Cf. Glück ad h. l. et not. Schult. et Smallenburgii vir Cl.

(3) L 6. h. t. § 5.

eloquentiâ imbuere, quae tamen, nisi a philosophia quasi succum et sanguinem duxerit, ipso Platone Judice, inane est et ludicrum negotium, verbis constans, destitutum rebus. (Van Heusde, Init. phil. plat. II. 1. pag. 79.)

Admodum nobis placet Anton. Augustini opinio, nempe, Sophistas, Rhetores, Oratores apud Modestinum et ceteros Jctos atque imperatores eos significare, qui artem dicendi traderent (1). Atque addimus quae in scholis didicimus, «σοφισταὶ, ῥήτορες,» uno spiritu hoc loco sunt eloquentiae magistri. vid. Cramer in comment. vetustis ad Juvenalis Satyr. pag. 551 (2). Alii vero interpretes alio modo de hac quaestione sentiunt. Scimus omnino revera discrimen inter eos fuisse, nam si rogamus, quinam dictus fuerit sophista atque ad illam quaestionem veteris alicujus scriptoris verbis respondere volumus, statim apparet, varios scriptores variam huic voci tribuisse notionem. (3) Audiamus Ciceronem de Anaxagora loquentem: (4)» At quis est hic? Num Sophistes, sic enim appellabantur ii, qui ostentationis aut quaestus causa philosophabantur.» — Illos homines, qui in conventu poscere quaes-

(1) Ad. Mod. de Excus. Thes. Ott. IV. p. 1572.

(2) Cf. quae annotavit Clar. van Assen ad h. l.

(3) Vid. Clar. J. Geel Hist. Crit. Soph. qui Socratis aetate floruerunt. in Nov. Act. Soc. Traject. T. II.

(4) Academ. prior. lib. II. Cap. 23.

tionem solebant, id est, jubere dicere, qua de re quis vellet audire, lusos videmus a Socrate, ut e Platona intelligi potest (1) Nam audax est negotium, dicerem impudens, ait oratorum princeps, qui romanus adhue fuit, id est, homo gravis, Graecorum levitate non corruptus; qui optima quaeque graeca exemplaria versabat manu diurna et nocturna, eorumque philosophos audiebat nobilissimos, omnia quae didicerat in civium utilitatem conferens.

Alio vero modo respondit Philostratus (2), sophistas, ait, veteres appellarunt, non eos tantum, qui in rhetoribus excellerent voce, clarique essent, sed ex philosophis etiam eos, qui flumine orationis in dicendo uterentur. Aulus Gellius (3) quoque de rhetorico Sophista, utriusque linguae callente; sed ille Grammatista fuit ex istis acutulis et minutis doctoribus, qui τεχνικοὶ (4) appellantur; et Marius Victorinus dixit, rhetor est, qui docet literas atque artes, artis traditor eloquentiae; sophista est apud quem dicendi exercitium discitur. (5)

Verum si leges inspiciamus omnino probanda vide-

F

(1) De finib. II. 1.
(2) Prõem. de vitis sophist.
(3) Noct. Att. XVII. c. 5.
(4) Hi primis literarum elementis imbuebant pueros. Scaliger. lib. IV. Epist. 451.
(5) L. I. p. 3. ed. Orell. Exposit. in libr. de Inventione, quem sequitur U. Huber. Digress. I. Lib. III. c. 23. § 3.

tur Augustum sententia: nam Accursii (1) doctrina, Sophistas intelligentis eos, qui dialecticam docent, accipienda non est, quandoquidem haec ad philosophos pertinet. Cujacius (2) et Anton. Faber (3) statuerunt, sophistas pro doctoribus eloquentiae accipiendos esse; rhetores vero esse sive dicendi praecepta doceant, sive non; cui opinioni favere videntur verba legis unicae Cod. de profess. qui in Urbe Const. doc. et l. unic. Cod. de stud. lib. urbus Romae et Constantinop.

Itaque videmus Cujacii sententiam Sophistas eloquentiae doctores esse omnino cum legibus convenire, sed vereor ut idem dici possit de iis, quae addidit vir celeberrimus · rhetores sunt, sive dicendi praecepta doceant, sive non.

Putant etiam nonnulli interpretes (4) discrimen inter rhetores et sophistas hoc esse, nimirum ut rhetores eloquentiae romanae doctores fuerint, sophistae vero linguae graecae. Fortasse Modestinus illas voces ita accepit; et l. un. Cod. de stud. liberalib. Romae et Constantinop. animadvertimus, 1.° hos quos Romanas eloquentiae doctrina commendat, et

(1) Ad. L. 1. C. de profess. qui in Urbe Constantinopolit.

(2) Comm. ad l. 6. h. t.

(3) Jurisprud. Papinian. Scient. tit. XXIV. Princ. I. Illat. 3 pag. 1121.

(4) Jac. Gothofredus comm. ad l. 3. Cod. Theod. de stud. liberalib. et in Gloss. voce Sophista. et Brisson in voce.

2.° hos, quos facundia Graecitatis (1) pollare noscuntur; quorum hi dicuntur Sophistae, illi vero Oratores. Etiam apud Suetonium (2) legimus, « rhetores graeci et latini, » apud Tertullianum (3), « rhetor et sophista, » et apud Gratianum l. 12. Cod. de excusat. muner. « rhetores atque grammatici eruditionis utriusque. » — Cujacius illis assentire non potest.

. Oratores eloquentiae praeceptores fuerunt; nimirum hoc patet e lege ult. §. ult. de munerib et honorib. et l. unic. Cod. de stud. liberalib. Adde l. 2. D. de usurpat. ubi oratores intelliguntur eloquentiae magistri (3).

Sed fortasse jam diutius, quam par est, in illa quaestione versati sumus. Pauca adhuc monenda sunt de eorum docendi ratione: quae nec una omnibus, nec singulis eadem fuit. Nam et dicta praeclare, ait Suetonius (4), per omnes figuras, per casus et apologos aliter atque aliter exponere, et narrationes, tum breviter et presse, tum latius et uberius explicare consuerant: interdum Graecorum scripta convertere, ac viros illustres laudare, vel vituperare: quaedam etiam ad usum communis vitae instituta, tum utilia et necessaria, tum perniciosa et supervacanea ostendere,

(1) Sic legendum pro gravitatis.
(2) In Vespasiano. c. 18.
(3) De pallio. Cap. ult.
(4) Cf. Perizon. ad S. Minerv. IV. 17. not. 8.
(5) De Claris rhetoribus 1.

saepe fabulis fidem firmare, aut historiis demere, quod genus θέσεις et ἀνασκευάς et κατασκευάς Graeci vocant, donec sensim haec exoleverunt, et ad controversiam ventum est.»

Exponenda est hoc loco l. 27 D. de donationibus, quae Papiniani responsum continet. Aquilius Regulus juvenis ad Nicostratum rhetorem, qui Papiniani aetate floruit, ita scripsit: «quoniam et cum patre meo semper fuisti, et me eloquentia et diligentia tua, meliorem reddidisti, dono et permitto tibi habitare in illo coenaculo eoque uti.»

Defuncto Regulo, controversiam habitationis patiebatur Nicostratus, quandoquidem mortuo eo, qui gratuitam habitationem alicui concessit, heredes ejus habitationem a defuncto concessam revocare possunt: vid. l. 32 D. eod. Atque etiam illud genus donationis in donatoris permissionem et voluntatem tota collata fuit; donatoris autem morte voluntas ejus extincta videtur. Fortasse in l. 32 laud. Scaevolam quoque movit lex Cincia, quae donationibus certum modum imposuit.

Quum de ea re rhetor cum Papiniano contulisset, dixit ille posse defendi non meram donationem esse; scripsit Pomponius l. 9 eod. in aedibus alienis habitare gratis donationem videri, id enim ipsum capere videtur, quod mercedem pro habitatione non solvit. Verum putabat Jctus officium magistri quadam mercede remuneratum Regulum, atque igitur donationem

remuneratoriam esse (1). Talis donatio, quae fit v. c. si quis aliquem a latrunculis vel hostibus eripuit, et aliquid pro eo ab ipso accipiat, irrevocabilis est; non enim merces eximii laboris appellanda est: quod contemplatione salutis certo modo aestimari non placuit. Sic etiam nostra lege donatio remuneratoria videtur, quae morte donatoris irrita non fit; — Si vero expulsus Nicostratus veniat ad judicem, ad exemplum interdicti, quod fructuario proponitur, defendendus erit; quasi loco possessoris constitutus, qui usum coenaculi accepit. Nam interdictum unde vi nonnumquam necessarium fuit fructuario, si prohibeatur uti frui usufructu fundi, uti legimus l. 3. §. 13. D. de vi et vi armata. Habitatio enim nostra lege dousta dicitur et relicta; est autem similitudo habitationis et ususfructus relicti (2).

§ IV.

De Poëtis.

Ad Grammaticorum Rhetorumque munus etiam hoc pertinere videtur, ut adolescentes carmina facere docerent; ac multi tunc temporis poëtae fuerunt, qui in magno honore non erant. Quandoquidem Philip-

(1) L. 34. eod.
(2) Cujac. 17 Obs. 33. et 21 Obs. 37.

pus imperator rescripsit (1): « Poetae nulla immunitatis praerogativa juvantur; » — mihi de iis quoque disputandum est. Ne quis tamen credat, me Imperatorem Augustum vel accusaturum vel defensurum, quod fortasse ita ab omni parte Platonem probaret, ut ei etiam poetas vituperanti, omnesque, praeter graves hymnorum cantatores, civitate exterminanti, consentiebat, alia tamen ratione quam Plato ductus: inimicus enim poetarum videtur, nullam immunitatem iis concedens, quamquam praeceptores et etiam nonnulli artifices (2) inter immunes habebantur. Sed quamobcausam nulla praerogativa juvantur? Cujacius(3) respondet: quia lex deficit. Ita omnino; sed quare imperator de iis rescriptum edens prohibuit, quominus immunes essent? Ratio hanc fuisse videtur: nimirum de hujus aetatis poetarum honore dicere (4) ea non possumus, quae auctor Dialogi de Oratoribus scripserit » nec ullis aut gloria major, aut augustior honor quam Poëtis; primum apud Deos, quorum proferre responsa, et interesse epulis ferebantur: deinde apud illos diis genitos sacrosque reges, inter quos neminem causidicorum, sed Orphea ac Linum, ac si introspicere altius velis, ipsum Apollinem accepimus. »

(1) L. 3. Cod. de Profess. et Medicis.

(2) L. 6 D. de jure immunit.

(3) Comment. ad. l. 6. laud. Cf. Anton. Faber. Jurispr. Papinian pag. 1122.

(4) Cap. 12.

Sunt tamen, qui statuant, poëtas propter divinum illum, quo ornari dicuntur, honorem, nullam immunitatem habere: verum enimvero cui non in mentem venit Juvenalis versus (1). » Gloria quantalibet quid erit, si gloria tantum est? »

Fere nulli poëtae tunc temporis privilegiis digni fuerunt. Cum Ovidio (2) enim dicere non poterant « Est Deus in nobis agitante calescimus illo. » Sed grassatores fuere et adulatores, quo vitio parasiti sive asseclae semper peccant, non raro poetae (3). Addi quoque potest, eorum numerum tunc temporis ingentem fuisse, nam nihil facilius est, quam malum aliquod pangere carmen; atque ideo omnes hi homines immunitatem habere non poterant; quorum plerique, et adulatores et obtrectatores in magno odio habiti sunt propter satyras et epigrammata, quibus non tantum principum in civitate virorum, verum etiam privatorum mores perstringerent (4). Haecce de poetis sufficiant.

(1) Satyr. VII. vs. 81.
(2) Fastorum lib. VI. 5.
(3) Scip. Gentilis. parerg. II. 1. (Thes. Ott. IV. pag. 1318.)
(4) Cf. Puttmanni Diss. de poetis privilegiorum exsortibus, et Frattr. Stockmannorum, de poetis non immunibus, a Gluckio laud. Tom. XXXI. pag. 353. — Alber. Gentilis Comment. ad. l. 3. C. de Profess. et Med. statuit: rescriptum tantum pertinere ad malos poetas. — Sed quinam dicere debet, utrum bonus sit poeta, an malus?

§ V.

De Medicis.

De medicorum conditione in imperio romano disserere nostro instituto minime convenit (1). Quaedam tamen de iis monenda videntur, quia cum liberalium studiorum praeceptoribus ubique conjunguntur. Medicorum quoque eadem causa est, ait Ulpianus (2), quae professorum, nisi quod justior, cum hi salutis hominum, illi studiorum curam agant. Ab Antonini imperatoris aetate Alexandriae schola medica floruisse videtur, et quidem publica; seculo quarto et quinto florentissima fuit, ita ut, teste Ammiano Marcellino (3), » pro omni experimento sufficiebat medico ad commendandam artis auctoritatem, si Alexandriae se dixerit eruditum. »

Modestinus, eo de quo agimus loco, non memorat, medicos artem suam docentes, immunitatemque habentes quo facilius multos instituant; sed scripsit «ἰατροὶ οἱ περιοδευταὶ καλούμενοι (4) » Paucis videndum est, quinam eo nomine intelligantur.

(1) Cf. scriptores, qui a Haubold. laudantur in Epicrisi ad Heinec. Antiq. Lib. I. 25.

(2) L. 1. § 1. D. de extraord. cognit.

(3) Amm. Marcell. XII. 42.

(4) Cujus sententiam non assecuti sunt Basilic. auctores lib. 38 tit. 1. haec reddentes : ἰατροὶ καὶ οἱ περιοδευταί : divellunt

Vetus interpres hanc vocem reddere voluit scribendo: id est circulatores. Verum si videamus Pauli fragm. l. 11 D. de extraord. criminibus, ubi de circulatoribus, qui serpentes circumferunt et proponunt agitur, certe de istis hominibus lex nostra accipienda non est.

Rectius Augustinus (1) circumforanei nomine usus est; Cujacius (2) legere vult circitores, Otto vero circitores. Sunt itaque medici, qui unius tantum urbis faciunt medicinam, medici circumeuntes et aegros invisentes, valetudinis homibus reddendae causa.

§ VI.

De Philosophis.

Philosophorum eadem fere fata fuerunt ac Rhetorum et Grammaticorum; a quo inde tempore Romani literis graecis operam dare coeperant, in primis etiam philosophia delectati sunt. Nota sunt, quae a scriptoribus (3) referuntur de nobili illâ legatione, quam Athenienses Romam ad senatum miserunt. Ho-

enim, quae conjungenda erant. Cf. Otto, de Aed. pag. 198. Brisson. Antiq. ex jure civ. selectar. Lib. II. Cap. 3 et Treckel ad eundem pag. 53.

(1) Thes. Otton. IV. pag. 1572

(2) In comment. ad h. l. sic quoque Colerus parergor. c. XI. (Thes. Otton. I. pag. 366.) Otto de aedilib. p. 197. vid. l. 1. D. de Decretis ab ord. faciendis.

(3) Cf. van Lynden in disp. de Panaetio. L. B. 1802. pag. 30.

neste domum remissi sunt philosophi, auctore Catone, verum admodum probati sunt a romanae juventutis principibus, qui ab eo inde tempore animi ardore amplexi sunt philosophiam; non tantum Romae sed Athenis quoque nonnumquam a juvenum institutione arcebantur (1). Hujus loci non est de vi ac ratione philosophiae apud Romanos disserere, sed recensenda videntur nonnulla jctorum fragmenta quae eos spectant.

Modestinus l. laud. § 5. philosophos quoque a tutelâ liberari affirmat, laudans Paulum ita scribentem: » Philosophi, Oratores, Grammatici, qui publice juvenibus prosunt, excusantur a tutelis, nam et Ulpianus libro quarto de officio Proconsulis ita scribit. In Fragmentis Vaticanis quoque §. 149 legitur » philosophis quoque, et medicis et rhetoribus et grammaticis, quibus per hanc professionem immunitas dari solet, etiam vacatio a tutelis datur, tam divorum Principum rescriptis, quam imperatoris nostri. Antonini Pii aetate, quum omnia in romano imperio fausta ac felicia gererentur, nemini mirum videri potest, multos exstitisse homines, qui pacis studia et praesertim philosophiam colerent, et juvenes illis studiis imbuere conarentur. Sic quoque Xiphilinus, in vita Marci, scripsit; « factum est, ut magna hominum multitudo philosophari simulaverit, ut ab eo locupletaretur, et

(1) Vid. Pollux onomast. lib. IX. c. V. segm. 28, 42 lib IV. C. V. sigm. 39. Sqq.

Capitolinus (1): fama fuit sane quod sub philosophorum specie, quidam et rempublicam vexarent, et privatos, quod ille purgavit. »

Divus Antoninus Pius enim epistola sua (de qua mox videbimus) philosophorum numerum immunitate gaudentium non constituit, quia rari sunt qui philosophantur, et quidem existimat, eos, qui divitiis abundant, libenter praestaturos esse auxilium patriae, quod si studiose contendant de re familiari, jam inde ostendent facile, se non esse philosophos (2).

Sic etiam Papinianus libro I Responsorum (3) « philosophis, qui se frequentes atque utiles per eamdem studiorum sectam contendentibus praebent tutelas, item munera sordida corporalia remitti placuit, non ea, quae sumtibus expediuntur: etenim vere philosophantes pecuniam contemnunt, cujus retinendae cupidine fictam asseverationem detegunt. » Infra quoque cum de extraordinariis cognitionibus, quatenus ad nostrum argumentum pertinet, disputabimus, videbimus praesidem provinciae iis de mercedibus jus non dicere, non quia non religiosa res est, sed quia hoc primum profiteri eos oportet, mercenariam operam

(1) In eod. Cap. 23.

(2) εἰ δὲ ἀκριβολόγοιντο περὶ τῆς οὐσίας αὐτόθεν ἤδη φανεροὶ γενήσονται μὴ φιλοσοφοῦντες· Velus interpres ita vertit: Si autem proprie loquantur de substantia, inde jam manifeste fient non philosophantes. l. 6. §. 7. d. l.

(3) L. 8. §. 4. D. de vacat. et excus. muner.

spernere (1). Diocletianus et Maximianus imperatores rescripserunt (2): « professio et desiderium tuum inter se discrepant. Nam cum philosophum te esse proponas, vinceris avaritia et rapacitate (3): et onera, quae patrimonio tuo injunguntur, solus recusare conaris: quod frustra te facere, ceterorum exemplo poteris edoceri. »

§ VII.

De Jurisconsultis.

Jurisprudentiae studium Romae semper floruit: et quamquam Theodosii demum junioris aetate (4) immunitates acceperint, in magno tamen honore semper habiti sunt Legum doctores; ab Augusti temporibus usque ad Alexandri Severi mortem jura quidem jctorum fere nulla fuerunt, sed auctoritas ac dignitas plane singularis; illam sibi acquisiverant, quod erant conditores Juris civilis; hanc, quod moribus et doctri-

(1) L. 1. §. 4.
(2) L. 6. Cod. de muncrib. patrimonior.
(3) Cujac. in commentar. ad tres postremos libros Cod. ad h. l. legere vult: avaritiae coecitate. Sic quoque l. ult. Cod. de veteris numismatis potest. » qui vel jussa nostrae Majestatis avaritiae coecitate contempserit. »
(4) L. 3. C. Th. de studiis liberalibus Urbis Romae et Constantinopolis (xiv. 8) l. 6. Cod. Just. de Profess. et Medicis voces *doctores legum* a Triboniano interpolatae sunt.

us inter cives suos excellebant. Plerumque eodem tempore et discentibus satisfaciebant, et consulentibus, nullum sibi ad docendum tempus seponentes (1), et Scaevola, qusmquam nemini se ad docendum dabat, tamen consulentibus respondendo studiosos audiendi docebat (2).

Jureconsultum omnes cives conveniebant, ut eum de rebus suis consulerent. Quando controversia de jure orta erat, si quis nesciret quid jes esset, quid injuria, et quomodo agere deberet, ut legibus satisfaceret, Jctum adibat, atque ille respondebat. Si in pactum convenire vellent homines, Jctus cavebat, ne quid omitteretur. Notum est, quantum Romani verbis solemnibus tribuerint, v. c. in manumissione, emancipatione, aliis, literis cousignandis, praesertim in testamentis condendis; saepissime igitur hoc ipse non faciebat, sed petiit a Jureconsulto, ut scriberet (3). Primis quidem temporibus Patricii tantum haec omnia peragebant, verum Tiberius Coruncanius (4), homo plebejus, primus ex omnibus, qui scientiam nacti sunt, publice jus civile professus est.

(1) Cic. in Bruto cap. 42.
(2) Cic. in Bruto. cap. 89.
(3) Cic. de Orat. L. 2. c. 6. ubi de Scaevola legimus : « si nullum erat testamentum recte factum, nisi quod tu scripsisses, omnes ad te cives cum tabulis veniemus; omnium testamenta tu scribes unus. » Cf. Bach. Hist. Jur. L. 2. c. 2. sect. 4. §. 10.
(4) L. 2. §. 38. D. de O. I.

Fuit ille Pontifex Maximus, plebi admodum favens, qui quum Patricii pristinam auctoritatem sensim sensimque amitterent, principes plebejos homines Juris Civilis scientia imbuere voluit. Postea in plurimis Romae stationibus jus publice doceri coepit; Labeo legitur de O. I. §. 47. cum studiosis sex mensibus Romae fuisse, et Sabinus ab auditoribus sustentatus fuisse fertur. M. Aurelius juri studens L. Volusium Maecianum andivit (1); Maximinus praeceptore Modestino usus est (2): et plerique Jureconsulti suos praeceptores passim nominare solent. Admodum verisimile videtur eos Institutionum libros, aliosque ejusdem generis, quibus prima elementa traduntur, composuisse, ut discendi studiosos adjuvarent. Sed mortuo Alexandro Severo omnino mutata est jurisprudentiae facies; ante illud tempus Jureconsultorum munus privatum fuit, nunc vero publicum. In aulis imperatorum ad amplissimos honores et summas dignitates pervenerunt nonnulli; sed eorum responsa exceperunt imperatorum rescripta; ad jura tamen discenda ex omnibus regionibus Romam venerunt juvenes, et Constantinopolin quoque, postquam ibi a Theodosio Juris Civilis quoque professores in schola publica constituti sunt; et Berytin, quamquam etiam in provinciis Legum praeceptores fuerunt. Scripsit enim Modestinus l. l. §. 12.» Legum praecepto-

(1) Capitol in Marco. cap. 3.
(2) Id. Maxim. Jun. cap. 1.

res in provincia docentes, vacationem non habent, Romae docentes habent. » Legimus quoque in Fragmentis Vaticanis §. 150. «Neque geometrae, neque hi, qui jus civile docent, a tutelis excusantur, » quod de iis, qui in provinciis degunt, dictum videtur (1).

Ratio, quare vacationem non habeant, haec esse videtur, nimirum in provinciis saepe desiderabantur homines ad tutelas et curas gerendas idonei, quam ob causam jureconsulti, homines prudentes, excusari non poterant. Caeterum de auctoritate, juribus, et dignitate Ictorum Romanorum, deque eorum vi ad universae reipublicae salutem imprimis conff. Cons. Frets et Cl. Holtius, in Respons. ad quaestionem ab Inst. Regio propositam, edit. A° 1822.

§ VIII.

De Epistola Antonini Pii.

Memorat Modestinus Antonini Pii epistolam (2), quae procul dubio eandem constitutionem continuit, de qua in Imperatorum Diocletiani et Maximiniani rescripto l. 4. Cod. de Profess. et Medicis legimus «Oratione divi Pii liberalium studiorum professo-

(1) Conf. Westrik, in Diss Inaug. Leid. 1826. ad h. l. Fragm. Vatic. pag. 87.
(2) L. 6. §. 2 et seq.

res non etiam calculatores continentur. » Scripta est illa epistola communi quidem Asiae (1), sed universo terrarum orbi convenit. Ea constitutione cautum est, ut omnes Grammatici, Rhetores et Medici immunes essent, sed numerus eorum constituitur, et aliae quaedam conditiones lege proponuntur (2).

Minores quidem civitates quinque medicos, sophistas tres, grammaticos totidem immunes habere possunt. Majores septem medicos, quaternos duabus illis disciplinis praepositos. Maximae vero medicos decem, rhetores quinque, grammaticos totidem. Supra hunc numerum ne maximae quidem civitates immunitatem praestare possunt. Maximae civitates intelliguntur metropoles, majores eae quae forum causarum habent, ἀγορὰς δικῶν (3), quod vetus interpres vertit loca judiciorum, minores reliquae dicuntur civitates (4).

Addidit Modestinus §. 3. « quem numerum neque Curiae decreto excedere licet, neque quo alia cap-

(1) τὸ κοινὸν τῆς Ἀσίας Sic. Cic. Lib. IV in Verrem c. 49. commune Meliadum. Commune Asiae significat illam Asianorum universitatem, quae ab uno proconsule regebatur. vid. Augustin. Plura dabit Gluck. ad h. l.

(2) αἱρέσεις τινὸς προκειμένας τῷ νόμῳ, Augustinus vertit: divisioque quaedam civitatum lege facta est. Perperam, secuti sumus Cujacium in comment. laud. Gothofred. ad l. 3. Cod. Theod. h. t. Otto de Aedilib. Cap. VI. §. 4. p. 179 Seq.

(3) Basilic. δικαιον ἀγορᾶς

(4) Philosophorum numerus constitutus non est. §. 7.

tatione quaesita; minorem tamen constituere licet: quoniam id si fiat, civilia munera juvantur.» et §. 4. «Atqui non aliter hi ea immunitate fruentur, nisi decreto curiae numero constituto adscribantur, et operam quisque suam navet non male.»

Ex his verbis manifesto apparet, Decurionibus civitatum facultatem esse tributam ad Grammaticos aliosque in numerum eorum, qui immunitate gaudere possunt, adscribendos; sic quoque Gordianus Imperator rescripsit «Grammaticos seu oratores decreto ordinis probatos, si non se utiles studentibus praebeant, denuo ab eodem ordine reprobari posse incognitum non est» (1). Ordinis voce enim hic intelligendus est Decurionum ordo, sicuti Romani dicebant Senatorius ordo, Equestris ordo, ordo plebejus, cet.

De medicis hoc quoque expressis verbis testatur Modestinus h. l. §. 6. et l. 11. §. 3. D. de muneribus et honoribus. «Sed et reprobari medicum posse a republica, quamvis semel probatus sit, Imperator noster (Divus Magnus Antoninus) cum patre Laelio Basso rescripsit (2).

Ex omnibus illis legibus satis constat, professores a Decurionibus non vero a collegio quodam vel Medicorum, vel studiorum magistrorum probatos esse. Videtur tamen hoc non semper ita observatum fuisse,

(1) L. 2. Cod. de Med. et Profess.
(2) Cf. l. 5. 7. Cod. de Profess. et Medicis.

sed etiam nonnumquam novos Medicos ab aliis, qui jam diutius eam artem professi essent probatos esse. Symmachus enim lib. I. epist. 26 de medicis scripsit: « Lege cautum est, ut primi artis ejusdem de novorum scientia judicarent »quae verba ita moverunt Conringium virum doct. ut pristinam suam sententiam mutaverit (1). Quae medicorum autem, eadem isthac tempestate philosophorum conditionem fuisse putat: Quam ob causam Valentiani rescriptum (2), « Reddatur unusquisque patriae suae, qui habitum philosophiae indebite et insolenter usurpare cognoscitur, exceptis his, qui a probatissimis approbati ab hac debent colluvione secerni, » etiam de philosophorum ordine accipiendam esse, statuit.

Sed certissimum est, id quod Symmachus scripsit non semper locum habuisse. Disertis enim verbis in legibus supra laudatis legimus, medicos a republica probari debere, et quamvis semel probatos postea reprobari posse.

Hoc loco quoque notanda est l. 1. D. de decretis ab ordine faciendis. Sunt Ulpiani verba lib. 3. opinionum: « Medicorum intra numerum praefinitum constituendorum arbitrium, non Praesidi Provinciae commissum est, sed ordini et possessoribus cujusque civitatis:

(3) In Dissertationibus, de antiquitatibus Academicis, edit Heumanni. Suppl. LVII et Diss. IV. p. 120.
(4) L. 8. Cod. de Prof. et Medicis.

ut certi de probitate morum, et peritia artis eligant ipsi, quibus se liberosque suos in aegritudine corporum committant.»

Illud fragmentum legentibus nullum amplius dubium exstare potest, quin medicorum eligendorum cura Decurionibus commissa sit; sed Bynkershoekius Obs. I. 15, pro *possessoribus* legere vult *professoribus* (1); quae si germana sit lectio, inde facile statuat aliquis, omnia, ubi ordinis mentio fit, loca, tit. Cod de Profess. et Medicis, de professorum vel medicorum ordine accipienda esse, quandoquidem jam Ulpiani aetate professorum suffragiorum in novis magistris constituendis ratio habita est.

Bynkershoekio vero calculum adjicere nequeo, nam possessorum quoque mentio fit. l. 2. Cod. de indiction. l. 8. pr. Cod. de deseris. civitatis. Neque etiam possessores cujusque civitatis dicuntur, quia civitatem possident; quae locutio admodum insolens tantum de imperatoribus usurpari potest: verum possessores sunt, qui domos illic possident (2); homines divites, principes in civitate viri. Nec nos offendit magistratibus et principibus quibusdam viris commissum esse constituendi medicorum arbitrium, ut certi sint de probitate morum et peritia artis, quandoquidem etiam illis tem-

(1) Alii emendant, *primoribus*, Vid. Pothier. Pand Just. ad h. l.

(2) Vid. du Cange, Glossarium ad scriptores mediae et infimae Latinitatis. Tom. V. pag. 688.

poribus non invaluisse scholarum nostrarum morem probandi idoneos, eosque publica auctoritate honoribus doctorisque gradu ornandi satis constat (1).

Sic quoque Valentiani rescriptum supra laudatum intelligo, nimirum probatissimi hoc loco non tantum intelliguntur philosophi, neque ipsi decuriones, sed excipiuntur ii, qui ab optimo quoque probantur, qui proborum civium consensu philosophiae habitu digni videntur.

Inter conditiones, quae lege proponuntur, primo loco memorandum est, eos publice juvenibus prodesse, ac bene seduloque muneri suo fungi debere: deinde eos tantum immunitatem habere qui artes suas in patria doceant. Paulus tamen, teste Modestino (2), scripsit « valde doctos, et supra numerum et alienam patriam incolentes immunes esse, et refert, ita Divum Antoninum Pium fieri jussisse (3). Sophistam vero, qui Romae docet, sive gratis, sive ob mercedem doceat, vacationem habere, a Divis Severo et Antonino est constitutum, perinde quasi in patria profiteatur. Quorum sanctioni illam potest quis rationem adferre, quod cum communis sit, et existimetur patria Regia Urbs, aequum est, eum, qui in sua patria se utilem praebeat, hac immunitate frui. » Scripsit

(1) Vid. Conring. in Diss. de Antiq. Academicis III. pag. 114. Sqq.
(2) L. 6. h. t. §. 9.
(3) L. 6. h. t. §. 10.

idem Modestinus l. 33. D. ad Municipalem « Roma communis nostra patria est. » Nam in orbe romano qui sunt ex constitutione Imperatoris Antonini cives romani effecti sunt (1).

Paulus quoque l. 9 pr. D. de vacat. et excusat. mun. docet: eos, qui Romae profitentur, perinde in patria sua excusari muneribus oportere, ac si in patria sua profiterentur. Hisce de numero et patria ad finem perductis, de juribus professorum videbimus.

§. IX.

De Juribus Professorum.

Hoc loco de excusationibus et vacationibus agendum est. Quasnam immunitates haberent, refert Modestinus l. laud. §. 8. laudans incertum caput quoddam ex Antonini epistolâ, quod inter Commodi constitutiones invenit; cujus verba haec sunt: « Omnibus autem his pariter Divus pater meus, statim atque principatum adeptus est, suos honores et immunitates confirmavit; Philosophos, Rhetores, Grammaticos, Medicos, immunes esse scribens praefecturis gymnasiorum, aedilicii curis, sacerdotiis, hospitum receptione, frumenti atque olei emtionibus, eosdem neque judicare, neque in legationem ire, neque in militiam

(1 L. 17. D. de statu hominum. Cf. Cujac. l. laud.

conscribi invitos, nullum denique provinciale aliudve munus subire cogendos. »

Divus Antonini Pii pater Hadrianus fuit (1), qui primum Aurelium Verum adoptavit, ac successorem designavit; mortuus est Aurelius Verus duobus annis postea. Tum vero Aurelium Antoninum, (deinde Antoninum Pium nominatum) adoptavit, ea conditione, ut ille sibi filios assumeret Aurelium Verum, postea Marcum Aurelium Antoninum dictum, et Caesonium Commodum, dein Lucium Verum vocatum. Commodus Aurelii Antonini filius fuit.

Supra jam vidimus studiorum liberalium professores a tutela et cura excusari.

Videamus nunc qualia fuerint munera, a quibus illi immunes esse dicuntur. Prima est praefectura Gymnasiorum quae et Gymnasiarchia dicitur quod munus numquam subire possunt nisi magnos sumtus facientes. Sic quoque ab Aedilitate excusantur; quo honore omnes, qui creati sunt, fungi debent, nisi justam excusationis causam habeant (2): nam Ulpianus scripsit l. 9. D. de munerib. et honorib. « Si quis, Magistratus in municipio creatus, munere injuncto fungi detrectet: per Praesides munus adgnoscere cogendus est remedus, quibus tutores quoque solent cogi ad munus, quod injunctum est, agnoscendum. »

(1) Ejus constitutio etiam ab Arcadio Charisio memoratur l. ult. D. de mun. et honorib.

(2) Cf. Otto, de Aed. coloniar. et municip. Cap. VI. § 1.

Immunes sunt a sacerdotiis provinciarum; fuit hoc amplissimum munus (1), quod iis tantum committi solebat, qui optime de civitate meriti essent. Dicebantur etiam Principes sacerdotum, Protoflamines et Flamines provinciae.

Quarto loco hospitum receptio iis remissa est; quod non personae sed patrimonii onus est (2), a quo nemo excusabatur, praeter eos, quibus principali beneficio concessum est, ut ait Hermogenianus libro I Juris Epitomarum (3); illa immunitas nempe, ne hospitem reciperent, iis jam Divi Vespasiani et Hadriani rescriptis concessa est (4), et postea confirmata a Constantino Magno l. 3. Cod. Theod. et a Valentiano ac Theodosio (5). Quinto loco Modestinus munus sitoniae atque elaeoniae memorat, quod in eo consistebat ut in certis necessitatibus frumentum emerent; dicebatur

(1) Censorinus, de die natali. Cap. 15, de Cerellio quodam dicit « Tu tamen, officiis municipalibus functus, honore sacerdotii in principibus tuae civitatis conspicuus, ordinis etiam equestris dignitate gradum provincialium supergressus, non modo sine reprehensione et invidia semper fuisti, verum etiam omnium omnino amorem cum maxima gloria consecutus es. »

(2) Vid. l. 3. § 14. D. de muner. et honor. adde L. 10. § 2. D. de vacat. et excusat. mun. « Angariorum praestatio, et recipiendi hospitis necessitas, et militi et liberalium artium professoribus inter caetera remissa sunt. »

(3) L. 11. D. de vacat. et excus. muner.

(4) L. ult. D. de muner. et honor.

(5) Vid. l. 10, l. 16, et 18. C. Th. de Medic. et Profess. l. 8. C. Iust. de metatis l. 6. et l. 11. C. de Profess. et Medic.

illa emtio frumentaria comparatio (1), coemtio frumentaria, vel publica comperatio. Fuit igitur munus personale: ita quoque Ulpianus l. 3. §. 12. D. de muner. et bonor. dicit » Cura frumenti comparandi munus est; et Arcadius Charisius l. 18. § 5. D. de munerib. et bonorib. « Cura quoque emendi frumenti et olei (nam harum specierum curatores, quos σιτῶνας et ἐλαιῶνας appellant, creari moris est) inter personalis munera in quibusdam civitatibus numeratur (2).

Nequejudicare coguntur studiorum liberalium praeceptores. Solebant enim Praetores litigantibus judicem addicere, atque is, qui vult arbitrum petere, observare debet, ut eum petat, antequam a praetore discedat: sero enim petentibus non indulgebitur (3). Est etiam munus personale, quod omnes subire debent, nisi justas excusationis causas habeant. Arcadius Charisius quoque scripsit (4) » Judicandi necessitas inter munera personalia habetur; at Papinianus munus judicandi onus vocat.

Excusantur etiam a legationibus ad principem, quae ab Hermogeniano inter munera civilia personalia an-

(1) L. 1. C. Th. de frumento urbis Constantinop. (XIV. 16.) l. 3. C. Th. eodem. Cf. tit. C. Th. de public. comparat. (XI. 15.)
(2) Cf. quoque l. 1. § 2. D. eodem.
(3) Gajus Inst. Comment. IV. §. 164.
(4) L. 18. §. 14. D. de munerib. et honorib. — Fragm. Vatic. §. 194.

numerantur. l. 1. §. 2. D. de munerib. et honor (5). Ne statuamus tamen, illas leges non semper observatas esse, si legamus nonnumquam sophistas a civitatibus suis ad Imperatores missos esse: quod de Marco a Byzantinis missos videmus apud Philostratum lib. I. de Vitis sophist. p. 530, de Polemone a Smyrnaeis p. 531 et 535, de Scopeliano sive a Smyrnaeis, sive a communi totius Asiae p. 520. (Ed Morell.) omnibus ad Hadrianum Imperatorem. Nam eas legationes sponte susceperunt; alioquin enim provocare potuissent ad leges hac de re latas, quod Phavorinum, cum sacerdos electus fuisset, fecisse ex eodem Philostrato constat (2).

Decernebatur legatio in provinciis communi consilio tractatuque et legati plerumque ex decurionum ordine eligebantur (3). Accipiebant mandatum, vel decretum, quae etiam instructio legationis dicebatur. Debebant tamen civitatum desideria a Praefecto Praetorio probata esse, quod Valentianus III. ad Severum P. P. rescripsit (4). « Quaecumque civitas legatos ad sacrarium nostrum voluerit ordinare, libera ei tribuatur facultas; ita tamen ut a Te probata, atque eli-

(1) Cf. tit. D. de legationib. ac tit. Cod. Th. de legatis et decret. legation (XII. 12.) Tit. id. C. Just.

(2) Tom. I. pag 494. vid. Gothof. in comm. ad. l. 1. C. Th. de Med. et Profess.

(3) L. 9. l. 10. l. 12. C. Th. de legat. l. 5. l. 6. C. Just. de legat. l. 4. §. 5. D. de legat.

(4) L. 5. C. Th. eod.

mata ad nos desideria perferantur. » Viaticum ut legativum accipiebant legati. vid. l. 7. pr. D. quod cujusque univ. nom. l. 36. pr. D. ad Municipal. cet. Plura dabit Gluck ad. h. l.

Ultimo loco Modestinus ait: neque in militiam conscribi invitos: nullum denique provinciale, aliudve munus subire cogendos. Vacatio militiae a Constantino et Valentiano I postea confirmata est (1); fuit illud quoque onus tironum praestatio; poterant tamen certam pecuniae summam solvere, quae secundum Valentis constitutionem l. 7. Cod. Theod. de Tironibus, 36 solidis constabat; secundum Honorii l. 13. C. Th. tantum 25; sed postea l. 20 ibid. imperator 30 solidorum numerum constituit: quam ob causam in Valentis constitutione legitur, Tironum praebitio in patrimoniorum viribus potius, quam in personarum muneribus collocetur. Haec de juribus sufficiant.

§. X.

De Mercedis Exactione.

De extraordinariis cognitionibus quaedam ex ulpiani libro 8. de omnib. Tribunalibus dicenda sunt. l. 1. D. h. t.

Studiorum liberalium praeceptoribus praeses pro-

(1) L. 3. et 10. Cod. Theod. ibiq. Gothof. Cf. etiam l. 16. eod. de quibus infra videbimus.

vinciae jus dicere solet, si forte lis da mercedibus orta sit quod in urbe Tribuni fecisse videntur: Juvenalis enim ait (1) « Rara tamen merces, quae cognitione Tribuni non egeat. Sic etiam Tribuni et Praetores urbani cognoscebant interdum, veluti in dandis tutoribus (2). Postea vero cum in desuetudinem abiisset Tribuni cognitio Praetor solus cognovit, et praeses in provinciis. Illae merces praestandae sunt pro opere, non vero pro utilitate, quam discentes ex institutione percipere possunt, ut ait Seneca (3).

Accipit Ulpianus liberalia studia, quae Graeci Ἐλευθέρια appellant, atque intra praeceptorum numerum contineri dicit Rhetores, Grammaticos, Geometras, Medicos non vero philosophos, non quia non religiosa sint, sed quia hoc primum eos profiteri oportet mercenariam operam spernere. Multas tamen fuisse philosophos, qui revera merces sibi stipulati sunt ex Luciani aliorumque locis a Merillio laudatis satis apparet. De eorum avaritia supra jam monuimus; nunc tantum referemus Senecae verba de Beneficiis II. cap. 17. « Est intolerabilis res, poscere nummos et contemnere. Indixisti pecuniae odium: hoc professus es: hanc personam induisti: agenda est. Iniquissimum est te pecuniam sub gloria egestatis acquirere. »

Sic etiam Juris civilis professoribus, quorum scien-

(1) Sat. VII vs. 228

(2) §. 1. Inst. de Attilian. tut. Cf. Merill. Obs. V. 22.

(3) Lib. VI de Beneficiis, Cap. 15.

tiam rem sanctissimam vocat, jus dicendum esse negat: nam pretio nummario non est aestimanda nec dehonestanda civilis sapientia. Admodum aegre tulit Conringius (1), Tribonianum, quem ipsum pecuniae cupidissimum, imo hoc vitio pene infamen fuisse dicit, legem hancce Digestis inseruisse, atque Ulpianum haud parum iniquum philosophis et legum professoribus fuisse judicat: quasi scilicet, ita scripsit Vir doctus, sanctitas doctrinae prohibeat, honorarium aut laborum aliquam mercedulam petere. Quanto rectius Apostolus, illi, qui servit altari, vitae subsidium ex altari deberi, statuit! Bene vero est, quod nemo non hodie illa Ulpianea saltim contrariis moribus improbet!»

Sequentia in hoc § 5. « dum in Judicio honor petitur, qui in ingressu sacramenti efferri debuit», ab interpretibus vanis modis intelliguntur. Honor dicitur pro honorario, sed quid sibi vult» in ingressu sacramenti». Merillius putat Juris studiosos ab initio adactos esse jurejurando, et ab initio oblatum honorarium, adeoque pro *efferri* legere vult *offerri*. Alter Scipio Gentilis (2), qui tamen etiam efferri in offerri mutandum censet, nimirum putat juramentum intelligi, quod professoribus Juris initio offerri, antequam inciperent profiteri a principe vel magistratu solebat. Ali-

(1) Suppl. LXXXI. ad pag. 167. Dissert. laud.
(2) Parerg. I. 9.

ter quoque Otto in Papiniano. c. 11. §. 7. pag. 332.

Ne tamen statusmus us omnino prohibitum fuisse mercedem petere, multoque minus a discipulis pecuniam accipere: diserte enim addidit Ulpianus, «quaedam enim tametsi honeste accipiuntur, inhoneste tamen petuntur». Hoc igitur sibi vult Jctus praesidem iis jus dicere non solere.

Ludi literarii magistris, qui neque inter professorum numerum annumerantur, neque immunitates habent, tamen a praeside jus dicitur. Sic quoque Notariis, quos Graeci ταχυγράφους et ὀξυγράφους, ac librariis, quos καλλιγράφους et Calculatoribus, qui pueros numerandi artem docent, Graece ψηφισταί. (Fragm. Vaticana §. 159 et 150) (1).

§ II.

De Studiosis.

Filiifamilias a parentibus saepe Romam vel alibi mittebantur, ut liberalibus disciplinis imbuerentur; et etiam patres vel tutores praeceptores iis conducere solebant. Tutores enim non rebus duntaxat, sed etiam moribus pupilli praeponuntur, ut ait Paulus l. 12. §. 3. D. de adm. et per. tut.

(1) Cujac. Comm. ad. l. 6. D. de Excusat. vid. quoque Horatii Satyr. I. 6. vs. 73.

Procul dubio tunc temporis quoque tutores fuerunt qui putarent, suum officium esse, pupilli bona, quantopere hoc fieri possit, acervari, ac qui ideo, quas minimas potuerint, mercedes praeceptoribus constituere solebant; quae certe Ulpiani mens non fuit, scribentis (1) » Praetori competere jus alimentorum decernendorum pupillis atque eum modum patrimonii spectare debere, cum alimenta decernit: et debere statuere tam moderate, ut non universum reditum patrimonii in alimenta decernat, sed semper sit, ut aliquid ex reditu supersit. » Sed cavendum omnino est, ne nimia sit illa merces; nam permittendum non est tutori tantum reputare, quantum dedit, si plus aequo dedit. l. 2. D. §. 1. ubi pup. Idem ille Paulus l. 6. §. 5. D. de Carb. Edicto ait, non solum alimenta pupillo praestari debent, sed et in studia et in caeteras necessarias impensas debet impendi pro modum facultatum ».

Rogari potest, utrum ea tantum filiis, an vero etiam filiabus constitui solerent (2). Juliani responso docemur filiarum quoque institutionem et educationem non semper neglectam fuisse. l. 4. D. ubi pup. educ. Nimirum pater testamento filium heredem instituit, eique et filiae Sempronium tutorem dedit; illi filiae nihil legatum fuit, nisi ducenta dotis nomine, cum in familia nupsisset. Tutor pro facultate pupilli ei prae-

(1) L. 3. §. 1. D. ubi pup. educ.
(2) Cf. Merill. Obs. V. 17.

ceptores dedit, sed cognati et propinqui judicant etiam puellae praeceptores dandos esse, ut liberalibus artibus instituretur, quam ob causam tutorem ad Magistratum ducunt, a quo jussus est alimenta et mercedes praeceptorum pupillae quoque nomine constituere. Pupillus vero pubes factus puberi jam factae sorori ducento legati causa solvit: unde exstitit quaestio haec: an tutelae judicio consequi possit, quod in alimenta pupillae et in mercedes a tutore ex tutela praestitum sit. Negando respondet Julianus.

Docet quoque Ulpianus l. 50. D. de fam. ercisc. « Quae pater filio emancipato studiorum causa peregre agenti subministravit, si non credendi animo pater misisse fuerit comprobatus, sed pietate debitâ ductus, in rationem portionis, quae ex defuncti bonis ad eumdem filium pertinuit computari aequitas non patitur. » Praetor quoque absentiam studiorum causa, aeque ac quae reip. causa est, justissimam esse dicit. l. 2. C. de incolis. l. 1 et 2. C. qui aetate vel professione se excus.

Cum filiifamilias actionibus directis uti non possint, et quae acquirunt omnia patri acquirant, hoc nonnumquam difficultates peperisse videtur, filiis procul a patribus studiorum gratia degentibus. Saepe accidere potuit, ut, si juvenis, qui viaticum suum, quod vitae sustentandae causa accipiebat, mutuum dederit, judicio opus fuerit, ad repetendum quod dedisset. Sed quomodo hoc facere debet? actionem directam sive ordinariam institui nequit, nisi ex castrensi peculio,

quam ob causam judicarunt Icti extraordinario sive utili judicio ei esse subveniendum. l. 17. D. de reb. cred. Nam in factum actiones etiam filiifamilias possunt exercere. l. 13. D. de Obl. et Act: quae duo Ulpiani fragmenta, an proxime olim se subsequerentur non affirmare audet J. Labittus, (1) at certe subsequi posse perspicuum est. Sic etiam utili judicio agere potest filiusfamilias, si studiorum gratia abierit, et furtum vel damnum injuria passus sit: ne dum pater expectatur impunita sint maleficia; quia pater venturus non est, vel dum venit se substrahit is, qui noxam commisit. Quae omnia mere ex humanitate constituta sunt, ne alioquin fraudem pateretur filiusfam. et sic in schola, ubi degit, fortasse non haberet, unde sumtus solvat quotidianos.

Prima disputationis parte, in qua de legibus Digestorum nostrum argumentum spectantibus disseruimus, absoluta, transeamus ad alteram partem, ubi de Caesarum Constitutionibus, quae in Cod. Theod. et Just. leguntur, agemus.

(1) In Usu Ind Pand. p. 42 et nota Schmuccii, p. 45. sqq.

5

CAPUT SECUNDUM.

DE CONSTITUTIONIBUS IMPERATORUM A CONSTANTINO MAGNO USQUE AD JUSTINIANUM.

§ I.

Constantinus.

Sedis imperii mutationem sub Constantino ipsia romanis literis minime profuisse satis constat.

Ipse imperator literarum studiis admodum favebat, quibus Licinius infestusfuisse traditur, quas per inscitiam immodicam virus ac pestem publicam nominabat, praecipue forensem industriam. Constantinus contra liberos suos diligenter erudiri voluit et optimis eos

erudiendos tradidit praeceptoribus etiam juris civilis et aliarum bonarum literarum. (1)

Filio suo Crispo in Gallia praeceptorem dedit Lactantium. Imitatus est imperator patris Contantii Chlori exemplum, quippe qui summopere operam dedit, ut adolescentes ingenuis artibus imbuerentur: testis est ejus epistola ad Eumenium, ubi haec verba legimus: « Merentur et Galli nostri, ut eorum liberis, quorum vita in Augustoduniensium oppido ingenuis artibus eruditur, et ipsi adolescentes, qui hilari consensu meum suscepere comitatum, ut eorum indoli cousulere cupiamus. Proinde quod aliud praemium his, quam illud conferre debemus, quod nec dare potest, nec eripere fortuna? » (2). Quam ob causam Augustodunensium auditorio praefecit Eumenium, sacrae memoriae magistri partes sustinentem, cujus eloquentiam et gravitatem morum ex actus sui administratione compertam habuit: hic igitur salvo honoris Palatini privilegio, professionem oratoriam accepit, atque in Augustodunensium civitate mentes adolescentium ad vitae melioris studium excoluit; nec illum putare debere, ait imperator, hoc munere aliquid honoribus derogari; cum honesta professio ornet potius omnem, quam destruat, dignitatem.

(1) Quod laudat Eusebius. Vid. et Nazarium Panegyrico, c. 4. Gothofr. ad l. 1 h. t. S. Aur. Victor. Epitome. c. 61.
(2) Eumenius pro rest. scholis. c. 14.

Non tamen omnes ubicumque homines magni faciebant praeceptores; et, quid mirum? quandoquidem plerique hi viri docti christianae religioni nondum dediti erant, sed plerique principes in civitate vixit procul dubio imperatoris ad exemplar eam religionem amplexi sunt. Itaque nonnumquam salaria magistris denegabantur, quae iis reddi (1) jubet Constantinus. (2) Non semper Decurionibus licitum fuit salaria decernere, quod omnino prohibitum fuisse videmus ab imperatore nostro. (3) Jam antea hac de re leges caverunt; (4) interdum tamen eorum decretum ullius erat momenti ut puta, si ob liberalem artem fuerit constitutum, vel ob medicinam: ob has enim causas licet constitui salaria.

Eadem constitutione prohibet in jus eos vocari vel pati injuriam. (5) Quam ob causam in jus vocari et pati injuriam hoc loco conjunguntur, quaerere licet: nam mirabile videtur, qui juvenibus erudiendos operam dant, ad judicium deduci non posse. Ratio haec fuisse vide-

(1) *Reddere* saepe sumitur pro dare, tribuere. Differunt tamen dare ac reddere; Vid. Facciul. in voce.

(2) L. 1. h. t. Symmachus quoque l. 5. Ep. 35 scribit, sua aetata romanae juventutis magistris subsidia solemnis alimoniae detracta esse; idem ille lib. I Ep. 73. professoribus Romae salarii emolumenta et annonas a Senatu decreta tradit, sic tamen, ut id confirmetur a Praefecto Praetorio Italiae.

(3) L. 12 C. Th de praeb. salario

(4) L. 4. D. de decr. ab ord. fac.

(5) Nec ad judicium deduci, vel exhiberi vel injuriam pati. Cod. just. l. 6. quae c. l 1 et 3. h. t. interpolata et conflata est.

tur: nimirum illud hominum genus, praesertim autem sophistae, saepissime contumeliâ afficiebantur, vel propter religionem vel propter superbiam vel etiam propter rerum forensium ignorantiam. Itaque fieri potuit ut saepe temere in jus vocarentur innocentes; optime igitur de iis meritus est imperator hoc fieri prohibens.

Poenam quoque constituit, » si quis eos vexaverit, centum millia nummorum aerario inferat, a Magistratibus, vel quinquennalibus exactus, ne ipsi hanc poenam sustineant. » Illi magistratus municipales seu duumviri, vel quinquennales, (1) sicut in aliis civitatibus nominabantur, non semper ea, qua par est, diligentia vexationes ab illis arcere solebant, quandoquidem in lege additur » ne ipsi hanc poenam sustineant. »

Agitur quoque de servis: nam tunc temporis, ut e lege nostra confici potest, domini nonnunquam servis utebantur ad praeceptores injuriâ afficiendos, si vero id fecerint, insciis dominis, flagellis caedi debent, praesente professore, qui injuria affectus erat: sed si dominus servi facinoris conscius fuit, viginti millibus nummorum mulctandus est, atque interim servus, donec mulctam fisco intulerit dominus, pro pignore retineri potest.

Medicos, Grammaticos et professores alios literarum

(1) Exercebant hi potestatem intra metas propriae civitatis. vide dicta ad l. 174 Cod. Theod. de Decurionibus. GOTHOF.

jussit esse immunes a muneribus publicis, (1) cum rebus quas in civitatibus suis posuident, de quibus immunitatibus priori capite jam disputavimus.

Addidit imperator eos honoribus fungi posse: nimirum facultatem iis tribuit honorum capessendorum. «Sciendum est, ait Ulpianus, (2) quaedam esse munera aut personae aut patrimoniorum, itidem quosdam esse honores. Honor municipalis est administratio reip. cum dignitatis gradu, sive cum sumptu, sive sine erogatione contingens. Professores immunitatem habent a muneribus, non ideo tamen ab honoribus arcentur, verum iis fungi possunt. Universe cui muneris publici vacatio datur non remittitur, ne magistratus fiat: quia id ad honorem magis quam ad munera pertinet: (3) inviti igitur adire honores cogebantur.

Sed imperator constituit: » fungi cos honoribus volentes permittimus, invitos non cogimus; « et quare hoc fecerit, ipse dicit, nempe: » quoniam gravissimis dignitatibus vel parentes vel domini vel tutores esse non debent » quae quidem verba, ait Gothofredus, » si quae hoc codice, male sana omnemque medelam respuere

(1) *Et doctores legum*, additum a Triboniano Cod. Just. quam vocem tamen legum Graeci non agnoscunt. Item illa *una cum uxoribus et filiis nec non et rebus*, et mox, *ab omni functione et ab omnibus muneribus, civilibus vel publicis* et quae sequuntur alia. GOTHOF.

(2) L. 6 § 3. D. de mun. et honor. conf. l. 10, 11, 14 D. eod.

(3) L. 12, eod.

mihi semper visa. At nunc vel levicula hac mutatione locus restituendus: *quoniam graves* (id est, gravati inviti) *gravissimis dignitatibus*, vel sustineri possem commoda hac interpretatione. Nempe quidam honores comparantur hic cum officiis parentum, dominorum et tutorum; ut ecce defensores civitatum parentis sen patris vicem plebi exhibebant; l 4 Cod. Just. de defensorib. civitat. Sed et curatores civitatis fuere τοῦ κοινοῦ πατέρες. Igitur aequum non est, Medicos et Professores gravissimas, id est, onerosas sibi dignitates subire cogi: quae dignitates parentes, dominos et tutores deposcunt: parentes, inquam, ec proinde pietatis et sedulitatis affectu: dominos et sic tamquam rei suae providos: tutoris denique vice dominorum instar: ec si diceret, dignitates non recte sustineri, nisi ab iis, qui parentes pietatem et officiosam sedulitatem domini et vice domini, id est, tutoris diligentiam ad eam adhibituri sint. »

Illa quidem omnia, quae disputavimus, praesertim ad praeceptores provinciarum pertinent, quibus imperatorem admodum favisse vidimus.

Verum etiam Constantinopolin in omnibus similem Romae reddere studuit, quam ob causam praeceptoribus ibi degentibus eorumque uxoribus et liberis, constitutione ad populum missa, (1) ab omni functione et ab omnibus muneribus publicis vacare praecepit, nec ad

(1) L. 3. Cod. Th. h. t. anno 333 lata, in quem annum inci-

militiam comprehendi, neque hospites recipere nec ullo fungi munere, de quibus vacationibus in superioribus jam quaedam notavimus (1).

§ II.

Julianus.

Pervenimus ad Julianum imperatorem, cujus indoles et res gestae tam a veteribus, quam a recentioribus scriptoribus varia dijudicari solent. Ad nostrum propositum non pertinet de ejus meritis ac virtutibus multum disserere, nec criminationes adversariorum refellere, ac magnam diluere quaestionem, utrum jure et ex veritate, an ex odio eum omni contumeliarum cumulo obruerint, propterea quod religionis Christianae fuerit desertor. (2) Hoc tantum animadvertere juvat Christianorum ac gentilium scriptorum fide constare, Julianum praeditum fuissa ingenio discendi avido, atque a teneris animum ad capessendas praeclaras artes ac doctrinas haud mediocriter incensum, studiumque haud vul-

dunt Vicennalia Constantini Junioris, quod probat Pagius in Crit. ad. Annal. Bar. num 2. h. a. in iis autem solemnibus privilegia data, notum est. RITTER.

(1) De Archiatrorum vel exarchiatrorum immunitate est. l. 2. h. t.

(2) Vid. A. Kluit, Oratio pro Imperatore Juliano, Apostata: Medioburgi, 1769.

gare, sed pervicax ac intentum contulisse; ita ut, cum ad imperium aggrederetur, omnes attulerit disciplinas, quibus animus erudiri potest et excoli, et quod longe majus est ac praestantius, (sunt verba Spanhemii), (1) «mentem insuper cupiditatibus illis, quibus adolescentium animi, maxime illius ordinis ac loci, emolliuntur, aut a vero laudis cursu abducuntur, nullatenus infractam, sed iisdem liberam plane atque invictam. Quibus utique excelsis et in juventutis principe et imperatoriae stirpis propagine inusitatis animi, ingenii ac virtutis dotibus viam is sibi ad summum non humanae solum potentiae, sed laudis gloriaeque fastigium straverat.»

Nemini mirum videbitur quod imperator literarum studio egregie imbutus, juventutis institutionem meliorem reddere voluerit. Et quandoquidem magnopere studuit fidem Christianam labefactare, omnes, qui huic religioni dediti erant, praeceptores a docendi munere removit: hac de re edictum edidit, cujus fortasse pars est imperatoris Constitutio, quae l. 6. Cod. Theod. h. t. legitur. (2)

«Magistros studiorum, ait, doctoresque excellere oportet moribus primum, deinde facundia: sed quia singulis civitatibus adesse ipse non possum, jubeo quisque docere vult, non repente, nec temere prosiliat ad hoc munus, sed judicio ordinis probatus decretum

(1) Praef. ad opp. Juliani, a Klutio laudata.
(2) l. 7 Cod. Just. eod. postrema verba, *hoc enim decretum* recidit Tribonianus.

Curialium mereatur, optimorum conspirante consensu: boc enim decretum ad me tractandum referetur, ut altiore quodam honore nostro judicio studiis civitatum accedat (1). »

Maximi esse momenti eos, qui juvenibus praesint, bonis moribus esse praeditos, probatione haud indiget; quomodo vero ipse imperator de recta adolescentium institutione judicaverit ex epistola ejus 42 videre possumus. (2) Institutionem enim rectam non eam esse arbitratur, quae verborum linguaeque magnifico et exquisito sono constat; et omnes qui quidquid docere profitentur, bonis moribus esse debent, quod praecipue de sophistis, qui morum etiam erant magistri, judicat.

Lege, de qua agimus cantum est, ne omnes spe lucri faciendi, vel aliis honestioribus rationibus ducti, juventutem erudire cupientes temere vel repente hoc munus adirent. Nimirum eligendi sunt ab iis, qui civitatis commoda curant. Egregia sane lex; quae non tantum juvenibus, verum etiam ipsis magistris prodest: nam optimus quisque tantum admittatur, improbus arceatur secundum imperatoris rescriptum ne-

(1) De decurionum ordinis decretis supra jam diximus. Judicium ordinis fuit jud. Curialium, quod optimis constabat (Athenis οἱ ἄριστοι) sententiam ferebant χειροτονίᾳ vid. GREG. NAZIAN. carm. de vita sua, 12, 17, in vid. Schwarz. Geschiedenis der opvoeding, 1 deel. p. 608 in not.

(2) Juliani imp. opera ed. Spanhem. pag. 422.

cesse est; ipse ubicumque adesse nequit, quam ob causam hanc curam ordini commisit.

Omnino animadvertendum videtur imperatorem omnia illa decreta ad se referenda esse jussisse; quare hocita fieri voluerit ipse indicat, nempe, ut altiore quodam honore professores studiis civitatum accedant. Gothofredus putat, « Julianum hoc fecisse eo consilio, ut ipse Christianos, forte judicio ordinis probatos, decretum curialium meritos, optimorum etiam conspirante consensu, repelleret. Quod unicum, ait, Juliano hac lege propositum fuit, quoque ut duo superiora capita, ita hoc vel maxime pertinet: quo scilicet ita judicio suo staret omnis electio, quae antea libero tractatu peragebatur (1). » Utrum recte judicaverit Gothofredus alii dicant.

§. III.

Valentianus I.

Incidimus in varias constitutiones, quae manifeste declarant institutionem publicam Valentiano et Gratiano admodum cordi fuisse. Nimirum l. 6. C. Th. h. t. legimus: » si qui erudiendis adulescentibus vita pariter et facundia, idoneus erit vel novum instituat auditorium, vel repetat intermissum. »

(1) L. 4. h. t. C. Th. agit de Archiatris.

Omnes igitur Christiani vel alii praeceptores, qui a Juliano a docendi munere remoti erant, novum instituere auditorium, vel intermissum repetere possunt. Inter eorum numerum memorantur Proaeresius sophista et Marius Victorinus (1). Vitae morumque probitatis et facundiae, eandem, quam Julianus, rationem haberi jubet.

Altera constitutione de philosophis agitur (2) « Reddatur unusquisque patriae suae, qui habitum philosophiae indebite et insolenter usurpare cognoscitur: exceptis his, qui a probatissimis approbati ab hac debent colluvione (3) secerni: » Multi hoc tempore fuerunt homines, qui philosophorum pallio induti, muneribus publicis sese substrahere conabantur (4). Julianus enim, qui veterem superstitionem rursus inducere voluit, fidemque Christianam reprimere, admodum philosophis delectabatur; quid mirum igitur, si multi fuerint homines, illa studia profitentes. Itaque

(1) Vid. GOTHOFRED. h. l.

(2) L. 7. C. Th. l. 8 C. Just. h. l.

(3) Id est, *conluvione*: in Cod. Just. perperam *collusione*, ubi recte Cujacius *colluvione* reposuit. GOTHOF. Cramer in opere: Geschichte der Erziehung und des Unterrichts im Alterthume. Elberfeld 1832. 1 band. p. 469 hanc legem Valentiano II tribuit: praeclarum hunc librum, specimine jam conscripto, demum accepi.

(4) De quibus vid. Juretus in Symmachi lib. I. Ep. 23. conf. quoque Muller, de genio, moribus et luxu aevi Theodosiani. Hauniae. 1797. P. I. pag. 24.

Valentianus eorum numerum minuendum judicavit, eosque patriae functionibus reddendos decrevit, propter rationem, quam ipse addidit: turpe est, ut patriae functiones ferre non possit, qui etiam fortunae vim se ferre profitetur.

Alia ejusdem imperatoris constitutio exstat l. 1. Cod. Theod. de studiis liberalibus Urbis Romae et Constantinopolis (1), quas Gothofredus vocat *Leges Academicas.*

Pertinet illa lex ad scholam, quae Romae floruit, ad quam juvenes discendi causa ab omnibus fere regionibus affluxerunt, et inprimis hoc tempore ex Africa, quibus adolescentibus praesertim hac constitutione cautum videtur.

Ad nostrum propositum non pertinet illius scholae conditionem multis exponere; hoc tamen animadvertere juvat, verisimile esse juvenes studiorum Juris Romani causâ potissimum Romam profectos esse, quandoquidem Grammaticos et Rhetores audiendi in provinciis quoque occasio dabatur. De moribus et vitae ratione mox videbimus (2). Nunc tantum notamus Gothofredi de Roma judicium: «hoc tempore, ait, Roma ante virtutum omnium mater, vitiis luxuque diffluxit, velut indulta ibi licentia vitiis; inter alia intempestivis

(1) Lib. XIV. 9.

(2) Cf. de schola Romana Gothof. ad. h. l et Conring Diss ad l. 1 C. Th. h. t. de moribus adeas Mullerum in comment. laud de genio aevi Theodosiani.

convivia, consortiis aleatorum, meretricum, ganeonum, immodico in spectacula studio. »

Ipsam imperatoris constitutionem pro viribus illustrare aggredimur, ac primo loco nonnulla annotabimus de fine, quem sibi hac lege posuit legislator.

Verba constitutionis haec sunt:

« *Impp.* VALENTIANUS, *Valens et Gratianus, A. A. A. ad Olybrium P. U.* Quicumque ad Urbem discendi cupiditate veniunt, primitus ad Magistrum Census, provincialium judicum, a quibus copia est danda veniendi, ejusmodi literas proferant, ut oppida hominum et natales et merita expressa teneantur. Deinde, ut in primo statim profiteantur introitu, quibus potissimum studiis operam navare proponant. Tertio, ut hospitia eorum sollicite censualium norit officium, quo ei rei impertiant curam quam se adseruerint expetisse. Idem immineant censuales, ut singuli eorum tales se in conventibus praebeant, quales esse debent, qui turpem inhonestamque famam, et consociationes, quas proximas putantus esse criminibus, aestiment fugiendas; neve spectacula frequentius adeant, aut adpetant vulgo intempestiva convivia. Quin etiam tribuimus potestatem, ut si quis de his non ita in Urbe se gesserit, quemadmodum liberalium rerum dignitas poscit, publice verberibus adfectus, statimque navigio superpositus, abjiciatur Urbe, domumque redeat. His sane, qui sedulo operam professionibus navant, usque ad vicesimum aetatis suae annum Romae liceat commorari;

post id vero tempus, qui neglexerit sponte remeare, sollicitudine Praefecturae, etiam impurius ad patriam revertatur. Verum ne haec perfunctorie fortasse curentur, Praecelsa Sinceritas Tua, officium censuale commoneat, ut per singulos menses, qui, vel unde veniant, quive sint, pro ratione temporis ad Africam, vel ad ceteras Provincias remittendi, brevibus comprehendat. His dumtaxat exceptis, qui Corporatorum sunt oneribus adjuncti. Similes autem breves etiam ad scrinia Mansuetudinis Nostrae annis singulis dirigantur: quo, meritis singulorum institutionibusque compertis, utrum quandoque nobis sint necessarii, judicemus (1). »

Procul dubio civitatis robur non cernitur magnis divitiis aut ingentibus copiis; sed potius illa beata dicenda est civitas et firma, cujus cives virtute excellent et Magistratus necessariis artibus praediti sunt. Optime itaque meritus est Valentinianus non tantum de juvenum institutione, verum etiam de omni romano imperio, quum operam dedit, quatenus in tanta morum corruptela fieri hoc potuit, ut bonis moribus imbueretur studiosa juventus, neque urbana lascivia prorsus perderetur. Omnino animadversione dignum videtur ultimum legis praeceptum: « similes autem breves etiam ad scrinia Mansuetudinis Nostrae annis singulis

(1) Jungenda videtur l. 9 Cod. Th. de Medicis et Professoribus, et l. 7. C. Just. de postulando.

dirigantur: quo, meritis singulorum institutionibusque compertis, utrum quandoque nobis sint necessarii, judicemus. »

Hoc nimirum imperator voluit, ut juvenes cogitarent in posterum suorum progressuum rationem haberi, si ad summos honores capessendos inter plurimos sit electio, quae spes certe multos fefellit; verum tamen stimulus et calcar juvenibus esse potuit, ut alacriore animo studiis operam navarent, cogitantes singulis annis certiorem fieri principem de vitae studiorumque ratione eorum, qui in schola romana versati essent. Nam *Mansuetidinis nostrae* (1) nomine ipse imperator intelligendus est.

Quaenam fuerint scrinia imperatoris paucis dicendum est. Minus recte nonnulli statuunt hoc tempore significare arcam, in qua scripturae, aurum, et simi-

(1) Solebant Impp. de se loquentes variis uti nominibus: Nostra Serenitas, Tranquillitas, Lenitudo, Lenitas, Clementia, Pietas, Mansuetudo, Nostrum numen, Coeleste Oraculum, Sacri affatus, Celsitudo Imperialis, Sublimitas, Excellentia Imperialis, Nostra Aeternitas, qua de re eximia nonnulla coegessit Pancirollus, Lib. I. Var. Lect. cap. 2. Magistratus etiam variis titulis honorabantur. « Si quis eum illustri viro, et praecipue Praefecto praetorio vel Urbi loquebatur, vel ad eum scribebat, etiam Princeps ipse, his verbis eum appellabat: Vestra Magnificentia, vel Illustris Magnificentia tua, aut tua Celsitudo quo titulo hodie erga eos Principes, qui paulo sunt inferiores Regibus, utimur; vel sublimitas tua, sive Magnitudo, vel Eminentia, vel Excellentia tua. Panciroll. Var. Lect. in utroq. jure I. 4.

lia, aut aliquid Augustis proprium servabantur: verum promiscue intelliguntur omnes arcae, cum privatae, tum publicae; erant vero arcae publicae, praeter Augustales illas, aliae complures. Nonnumquam illa vox quoque usurpatur de hominibus, qui scrinia publica curabant; sicut accipitur l. 1. Cod. de off. P. P. Africae, ubi in officio ejus tribuuntur scrinia decem. Non addidit imperator lege nostra ad quodnam scrinium breves mittendi essent; quoniam id procul dubio omnibus tunc notum fuerit. Interpretes enim Justinianei juris docent, quatuor tum fuisse Imperatoris scrinia, memoriae, libellorum, epistolarum, dispositionum, verum Conringius (1) putat nequaquam verisimile esse tam exiguo scriniorum numero potuisse Caesarum negotia componi, cum uni P. P. Africae, etiam quo tempore res dioeceseos illius afflictae essent et angustae, scrinia decem Justinianus assignaverit. Atque ideo numerus ille scriniorum aulicorum videtur nobis latere. *Brevis* vel *breve* est libelli genus, in quo nomina adscripta erant; postea etiam de epistolis illa vox usurpata est (2).

Confirmare non audemus e re provinciarum fuisse ea, quae nostra lege constituta sunt de temporis spatio, per quod cuique juveni licitum fuit Romae commorari. Fuit tempus studiis praestitutum usque ad vigesimum

(1) Diss. laud pag 33. Edit. Heumanni, Gottingae. 1739
(2) Vid. Brisson. in voce et Glossar. Nomic. Cod Theod h. v.

aetatis annum, quem jam antea institutionis metam fuisse supra vidimus (1). A duodecimo fermo anno usque ad decimum quartum pueri, jam antea literatoribus vel grammatistis traditi, studiis liberalibus imbuebantur, id est, grammaticos et geometras adibant, teste Paullo Aegineta (2); inde post decimum quartum aetatis annum ad scholas mittebantur, majoribus disciplinis imbuendi: puta, eloquentiâ, philosophiâ, mathematicâ, Jure.

« Post id vero tempus, qui neglexerit aponte remeare sollicitudine Praefecturae etiam impuriua (3) ad patriam revertatur. » Iussit itaque Censusles seu officium Censuale videre ne diutius, quam licitum est Romae degant adolescentes; atque ut accurate illa curentur, breyibus suis studiosorum nomina singulis mensibus notare debent, quinam studiosi ultra legitimum tempus, Romae scilicet exacti, domum remittendi sint.

Excipiuntur tamen illi juvenes, qui Corporatorum sunt oneribus adjuncti, id est, ut ait Gothofredus,

(1) L. 3. §. 5. D. ubi pup. educ.

(2) περὶ διαίτης νηπίων lib. I. cap. 14 Cf. l. 21 §. 5 D. de ann. legatis.

(3) Id est, cum nota et dedecore. *Gothof. Etiam invits*, scribendum ceuset *Conring.* Non aeque felix fuit Conringius in sanando vulnere atque in indicando. Non enim *invitus* rescribere debebat, sed *punitus*; quod facile transiit in *purius*, cui postea praefixum fuit *m* illad, quod verbum praecedens finierat. *Heumann.* in praef. p. VII ad Conringii Diss. de antiq. Academicis.

« exceptis iis juvenibus scholaribus, qui cum studiorum causa Romae agerent, eo tempore corpori alicui Urbis Romae sociati fuerunt (1). Ratio hujus exceptionis haec est, quod cum ordinario studiosi ultra legitimum tempus Romae morari non possint, ne diutius his patria defraudetur, muneraque adeo publica illi declinent, certe aliarum civitatum utilitatem communi patriae, Romae inquam, pro reverentia Urbis aeternae, cedere aequum sit, cujus interest Corporatis eam augeri, qui videlicet necessitatibus publicis ibi consulerent. Atque hoc inter caetera privilegium notandum est, ut Urbis Romae, ita et Corporatorum ejus urbis. Neque mirum studiis quoque imbutos Corporatorum corpori sese sociasse; nam et quaedam procul dubio corpora erant, in quibus literarum perita desiderabatur. »

Praecipuus igitur, sicut vidimus, legis finis in eo consistit, ne juvenum mores corrumperentur. Videamus jam quaenam jusserit imperator; et quibus magistratibus illam morum curam mandaverit.

Incipit lex his verbis: « quicumque ad urbem discendi cupiditate veniunt, primitus ad Magistrum census Provincialium judicum, a quibus copia est danda veni-

(1) Conring. Diss. laud. pag. 33. fatetur se non capere haec verba; multis tamen de Corporatis disputat. Nihil tamen definit. Imo hac de re alios audire mavult, quam ipsemet audiri. Cf. Gothofr. ad tit. Cod. Theod. de privilegiis Corporatorum Urbis Romae. (XIV. 2.)

undi, ejusmodi literas proferant, ut oppida hominum et natales et merita expressa teneantur. »

Itaque primo loco e laudatis legis verbis discimus, juvenibus studiorum causa Romam proficisci cupientibus non licuisse patriam civitatem relinquere, nisi copia iis data fuerit a judicibus provincialibus; quod an de omnibus peregrinantibus jam antea cautum fuerit affirmare non possumus. Jam olim Augustus constituit, ne quis senator injussu suo extra Italiam peregrinaretur et jam ante eum Julius Caesar Dictator vetuit, ne quis civium viginti annis major plus trieonio abesset Italia, neve senatoris filius magistratusque comes peregre proficisceretur, venia non impetrata (1).

Quid vero continere debeant illae literae, quas e judicibus provincialibus accipiebant, indicat ipsa lex: nimirum ex iis constare oportet, quo oppido ille fuerit oriundus, secundo quibus natalibus, tertio, quibus meritis sit adolescens, qui Romam studiorum causa proficisci velit; natalium voce intelligitur, quibus parentibus nati sint (2); meritorum denique nomine vel dignitas parentum et generis, vel vitae ante actae ratio significari videtur. Procul dubio Magistri census haec omnia in tabulas referre solebant: nam alioquin hoc

(1) Conf. Conring. Dissertatio ad l. 1 Cod. Theod. de stud. lib. U. R. et Const. pag. 49.

(2) Natalium nomine et ipsum annum, quo quis natus sit, significari, atque adeo et hunc fuisse indicandum palam est ex iis, quae sequuntur. CONRING. Diss. laud. pag. 21.

legis praeceptum inutile foret. Insuper natandum est, quibus potissimum studiis operam navare velint, quod apud eundem magistratum profiteri debent. Reliqua vero quae jubentur a censualibus peragenda sunt.

« Tertio, ita pergit legislator, ut hospitia eorum sollicite Censualium norit officium, quo ei rei impertiant curam, quam se asseruerint expetiisse. » Inquirere igitur debebant Censuales quibusnam hospitiis uterentur juvenes, eo quidem fine, ut diligenter in ea studia et disciplinas incumberent, ad quas percipiendas Romam a parentibus missi essent. Itaque saepe mutanda fuerunt ea hospitia, si postea judicarent Censuales prius electa juvenum moribus studiisque nocere, quandoquidem morum curam gerendi provincia iis mandata fuit per omne tempus, quo Romae degerent studiosi adolescentes.

« Iidem immineant Censuales (sunt verba legis) ut singuli eorum tales se in conventibus praebeant, quales esse debent, qui turpem inhonestamque famam et consociationes, quas proximas putamus esse criminibus, aestiment fugiendas, neve spectacula frequentius adeant, aut vulgo (1) intempestiva convivia. »

Hac legis parte quaedam jubentur de conventibus, de spectaculis, de intempestivis conviviis, de quibus singulis pauca monenda sunt.

Conventuum voce intelligendi sunt omnes loci, qui-

(1) *Valgi* legendum putat Couring. Diss laud. pag. 27.

bus homines conveniunt, non tantum igitur scholae, ubi juvenes docentur. Ita sese gerere debent in iis conventibus, ut deceat juvenes honesto loco natos, qui probatissimis sunt moribus, qui turpem inhonestamque famam aestiment fugiendam; quod nisi fecerint eorum conventus similes fiunt consociationibus, quas proximas esse criminibus judicavit imperator (1).

De spectaculis tantum monere sufficiat, ea tunc temporis etiam publica quam saepissime edi: operae pretium est legere loca Salviani, Augustini, Cypriani aliorumque quae a Conringio laudantur (2). Non vero omnibus spectaculis interesse studiosae juventuti prohibitum fuit, sed providere debent Censuales, ne saepius ea adeant.

Restat, ut quaedam de conviviis intempestivis notemus (3). Illis nimirum temporibus convivia saepissime instituebantur solemnia et publica, collegiorum, tri-

(1) Pertinet huc l. 28. §. 3. D. de poenis. « Solent quidam, qui vulgo se Juvenes appellant, in quibusdam civitatibus turbulentis se acclamationibus popularium accommodare, qui si amplius nihil admiserint, nec ante sint a Praeside admoniti: fustibus caesi dimittuntur, aut etiam spectaculis eis interdicitur; quod si ita correcti, in eisdem deprehendantur, exilio puniendi sint: nonnunquam capite plectendi, scilicet cum saepius seditiose et turbulente se gesserint, et aliquoties apprehensi, tractati clementius, in eadem temeritate propositi perseveraverint.

(2) Diss. laud. p. 25, 53. Sq.

(1) Quaenam dicantur intempestiva vid. in Gothofr. Comment ad. h. l.

buum, corporum, imo et totius populi; fuerunt illa saepius lascivia et luxu infamia.

Haec dicta sufficiant de iis, quae de juvenum moribus constituit Imperator: hoc unum adhuc animadvertere juvat, difficillimum fuisse Censualium munus, si ista omnia accurate providere deberent.

Juvenes sese in urbe non ita gerentes, uti generosos decet juvenes, publice verberibus affici lex jubet; deinde, navigio superpositi abjiciantur urbe, domumque redeant. » Fuit asper et severus immitisque in poenis infligendis Valentinianus (1).

Missa quidem est Constitutio, de qua agimus, ad Olybrium, Praefectum Urbi Romae, qui amplissimo hoc munere omniuo dignus fuisse videtur. Audiamus enim Ammiani Marcellini testimonium: (2) « Olybrii praefectura tranquilla nimis et lenis, qui numquam ab humanitatia statu dejectus, sollicitus erat et anxius, ne quod umquam factum ejus asperum inveniretur aut dictum; calumniarum acerrimus insectator, fisci lucra, unde poterat, circumcidens: justorumque distinctor et arbiter plenus; in subjectis admodum temperatus. Sed obnubilabat haec omnia vitium, parum quidem nocens rei communi, sed in alto judice maculosum, quod citeriorem vitam pene omnem, vergentem in luxum

(1) Cf. etiam Amm. Marcellinus. lib. XXVII. c. 15. lib. XXVIII. c. 3. XXX. c. 27.
(2) Lib. XXVIII. cap. 19.

per argumenta scenica amoresque peregerat, nec vetitos, nec incestos. » Vitium quod vituperat historiarum scriptor potius aevo, quam ipsi homini imputandum videtur.

Si vera sunt, quae de Olybrii indole feruntur, non dubitamus, quin adolescentibus, tunc temporis studiorum causa Romae degentibus gratulemur, quod illa constitutio severiora quaedam continens, tali Praefecto imperium tenente, lata sit. At, proh dolor! aegrotabat Olybrius, et Maximinus, curator annonae urbicae, homo crudelis, acerrimis poenis in romanos cives saeviit, quo nomine Valentiano gratissimus fuisse fertur. (1)

Ultimo loco recensenda est ejusdem Valentiani Constitutio, qua Medicis et Magistris Urbis Romae immunitatem ab omnibus muneribus et oneribus publicis concessit. (2)

Praeter memoratas Valentiani leges, Valentis quoque et Gratiani Constitutiones exstant, hujus quidem de scholis in Gallia, (3) illius vero de Custodibus et Antiquariis Bibliothecae Constantinopolitanae; (4) de quibus singulis nonnulla notabimus.

(1) Vid. Amm. Marcell. lib. XXVIII. cap. 1—11.
(2) L. 10. C. Th. h. t. De Archiatris Urbis Romae vid. l. 8 et 9 C. Th. h. t.
(3) L. 11 Cod. Th. de Med. et Prof.
(4) L. 2. Cod. Th. de stud liberal.

§ IV.
Valens.

Valens in Oriente imperator nonnulla constituit de iis, quae in urbe Constantinopoli fieri voluit, ac juvenum animos ad studia admodum excitavit (1). Hoc loco tantum memoranda est Constitutio, qua bibliothecae Antiquarios et Custodes praefecit.

Augusto summa rerum tenente bibliothecae publica auctoritate condebantur; ante eum quidem Aemilius Paullus jam multos libros Romam deportavit e Macedonia, et Sulla Athenis et Lucullus ex Asia; sed omnes illae bibliothecae, quamquam viri docti, quos legendi aviditas ceperat, libris uti poterant, (2) privatae fuerant. Asinius Pollio primus bibliothecam dicando ingenia hominum rem publicam fecit, (3) atque Augustus Graecas Latinasque condidit bibliothecas (4), et Domitianus eas incendio absumtas reparandas curavit (5). Bibliotheca, de qua nunc sermo est, a Flavio Julio Constantio condita fuit, qui curatorem et librarios ei praeposuit: sed Valentis aetate auctus videtur librorum numerus; ita

(1) Quo pertinet l. 20 C. Th. de praetorib. l. 7. C. de annonis civicis. Themist. Orat. II. loco a Gothofr. laud. in comm. T. V. p. 225.

(2) Cic. de fin. III. 2. ad Attic. IV. 20. Cf. Plin II Ep. 17 et III. Ep. 7.

(3) Plin. H. N. XXXV. 2.

(4) Sueton. Aug. 29. de ill. gramm. C. 21.

(5) Sueton. Dom. C. 20. adeas Lips. de Bibliothec. C. 6.

quidem ut tres latini, quatuorque Graeci Antiquarii a Praefecto Urbi eligendi essent. Quidnam eorum munus fuerit, ipse indicat imperator, nempe bibliothecae codices componere vel pro vetustate reparare debent (1). Quatuor vero graeci constituebantur, quandoquidem in graeca regione libris graecis magis quam Latinis operam dederunt. Illis antiquariis annonas de caducis popularibus praeberi jussit, quandoquidem et ipsi videntur e populo (2). Nimirum annonae, quae et publicae vel civicae dicebantur, erant panis vel panis coctus aliaque, quae de publico hominibus quibusdam, vel Constantinopoli vel Romae dabantur. Fuerunt illae vel Palatinae quae Palatinis, militares, quae militibus, populares, quae populo seu popularibus largiebantur. Nonnumquam accidebat, ut annonae vacantes, vel caducae essent, si verbi causa aliquis eorum, qui annonam percipiebat, urbe abeundum sibi crederet, si deficeret, vel diem obiisset supremum; eo casu fisci viribus vindicabantur, et in horreorum condita recidebant. E popularibus quidem caducis annonae solvendae erant, quandoquidem nec Palatini, nec milites sunt. Ad ejusdem bibliothecae custodiam apposuit conditionales; hi sunt viri, qui conditione personae suae, hoc est officii quod sustinent munerisque ita adstricti sunt, ut et cruentae

(1) Antiquarius, in Glossis est. ἀρχαιογράφος καλλιγράφος Conf. Gothofr. ad. h. l.

(2) Cf. Gothof. in paratit. tit. Cod. Th. Th de annonis civicis et pane gradili.

conditioni, l. 16 Cod. de quaest, nulla habita ullius privilegii ratione, sunt obnoxii, adeoque subjici tormentis queant (1).

§ V.

Gratianus.

Recensendum nobis est Gratiani rescriptum ad Praefectum Praetorio Galliarum, cujus haec sunt verba (2). « Per omnem dioecesin commissam magnificentiae tuae, frequentissimis in civitatibus, quae pollent et eminent claritudine praeceptorum, optimi quique erudiendae praesideant juventuti (3). Rhetores loquimur et Grammaticos Atticae et Romanae doctrinae. Quorum oratoribus viginti quatuor annonarum e fisco emolumenta donentur: Grammaticis Latino vel Graeco duodecim (4) annonarum deductior paulo numerus ex more praestetur: ut singulis urbibus, quae metropo-

(1) Facciol. in voce Conditionales, servi, dicti sunt ministrorum quoddam genus, qui ea conditione erant, ut illi muneri essent addicti et mancipati, neque ab eo liberari aut ad majora aspirare possent. Cf. Brisson in voce.

(2) L. 11. C. Th. de Med. et Profess.

(3) An ita interpungendus hic locus: claritudine praeceptorum optimi etc. Gothof. Fortasse sic scribendum, ut signum ponatur post vocem *claritudine*, eminere claritudine legitur quoque apud Vell. Paterc. II. 130.

(4) An duodeviginti? Nam alioquin duodecim ad viginti quatuor dici non posse videatur *paulo* deductior numerus. Gothofr.

les nuncupabantur, nobilium Professorum electio celebretur. Nec vero judicamus, liberum ut sit cuique civitati, suos doctores et magistros, placito sibi juvare compendio. Trevirorum vero clarissimae civitati uberius aliquid putavimus deferendum: Rhetori ut triginta, item viginti Grammatico Latino, Graeco etiam, si qui dignus reperiri potuerit, duodecim praebeantur annonae. »

Gratianus imperator, Ausonio Burdegalensi praeceptore usus, fere semper in Gallia versatus est, quam singulari amore ac benevolentia prosecutus esse videtur. Rogari potest, quamobcausam imperator illud rescriptum ediderit, quum jam diu antea ubicumque in Gallia claris Grammaticae et eloquentiae praeceptores adessent. Ratio haec fuisse videtur; nimirum fortasse in omnibus frequentissimis civitatibus nondum praeceptores publica auctoritate docebant, aut saltem salaria accipiebant; annonas enim certas singulis professoribus constituit. Omnino animadvertendum videtur rhetorum tantum, qui et oratores dicuntur, et Grammaticorum mentionem fieri, nullam vero juris vel philosophiae praeceptorum: notandum quoque Oratoribus majorem annonarum numerum quam Grammaticis constitutum esse, atque expressis verbis lege nostra cautum esse, ne civitates suos doctores placito sibi juvarent compendio.

In Trevirorum civitate quoque Grammaticus graecus eligendus est, si qui dignus reperiri potuerit; nimi-

rum in ea Galliarum parte, Germaniae vicaniore, non multi graeci praeceptores adfuisse videntur. Haecce de Gratiani constitutione sufficiant (1).

§ VI.

Theodosius Junior.

Theodosii junioris quatuor exstant constitutiones, quibus Professorum et Archiatrorum privilegia jam antea a principibus concessa, confirmata sunt. Non tamen de omnibus artium liberalium magistris cautum videtur, sed iis tantum, qui in Sacro Palatio inter Archiatros militarunt, cum Comitivae primi ordinis ac secundi dignitate, de quibus conferri possunt Not. Imp. Rom. cum Comment. Pancirolli in Thes. Graev. tom. 7. col. 1342. sqq. Gutherius de off. dom. August. lib. I. cap. 4. sqq. (2).

Nonnullae inveniuntur constitutiones de professoribus publicis constantinopolitanis, de quibus hoc loco quaedam disputare aggredimur (3).

(1) L. 12. C. Th. h. t. de Archiatris.

(2) L. 14 et 15 C. Th. h. t. exstant Theod. Magni Const. de Archiatrorum Palatinorum privilegiis. L. 15, 16, 17, 18 eod. Theod. Jun. L. 11. C. Just. h. t.

(3) L. unic. C. Just. de Stud. lib. Urbis R et Const. L. 3. C. Th. eod. jungenda cum ea l. ult. C. Th. de operib. publicis, et l. unic. de Profess. qui in Urbe Const. doc. ex lege meruer. comitiv.

Scholam publicam instituisse videtur imperator; sed multi tunc temporis homines fuerunt, qui juventutis institutioni operam dabant, sua tamen non publica auctoritate docentes; quod principi non admodum gratum fuisse e l. 3 C. Th. de Stud. liberalibus Urbis Romae et Const. manifesto patet. Metuebat enim ne publici professores soli in scholis relinquentur, atque ideo summi imperantis studium ad promovenda juvenum commoda omnino vana et irrita fierent; quam ob causam « universos », sunt verba legis, « qui usurpantes sibi nomina magistrorum, in publicis magistrationibus cellulisque collectos undecumque discipulos circumfere consueverunt ab ostentatione vulgari amoveri jussit. » Obiter monendum est magistrationes seu cellulae loca fuisse, in quibus magistri docebant; a magistris enim magistrandi vox, quod est docere (1). Ratio quare haec constituerit imperator ex iis, quae modo diximus, satis apparet: ab ostentatione vulgari removendi sunt hi magistri, nempe, noluit imperator extra auditorium publicum juventutem doceri. Antea, sicut in superioribus vidimus, privatim quoque docere licitum fuit, quod etiam manifesto patet e l. 6. C. Th. de Medicis et Professoribus, ubi Valentianus Imp. rescripsit « si qui erudiendis adolescentibus vitâ pariter et facundiâ, idoneus erit, vel novum insti-

(1) Sic quoque Spartianus in Hadriano. c. 10. vitam militarem magistrans. Festus in voce, ibique Dacier in not. ad h. l.

tuat auditorium, vel repetat intermissum.» Sed Theodosio Constantinopoli scholam aperienti e re civitatis visum est, cellulas illas et magistrationes prohibere.

«Ita ut, si qui eorum, ut ait imperator, post emissos divinae sanctionis affatus (1) quae prohibemus atque damnamus iterum forte temptaverit, non solum ejus, quam meretur infamiae notam subeat, verum etiam pellendum se ex ipsâ ubi versatur illicite, urbe cognoscat.»

Non omnes tamen in aedibus privatis docentes praeceptores removendi sunt, nam iis, qui intra domesticos parietes unius tantum familiae liberos docent, hoc facere permissum est. Sed prohibet hac lege Theodosius, quominus ii, ex numero eorum, qui in Capitolii auditorio constituti sunt, privatarum aedium studiis operam dent. Voluit enim, scholam publicam a se institutam civibus suis utilem esse, quam ob causam prohibuit, ne professores publici privatim docerent, neve privati publice. «Qui vero coelestibus illis statutis non obtemperant, nihil penitus ex illis privilegiis consequentur, quae his qui in Capitolio tantum docere praecepti sunt, merito deferuntur.»

Eadem hac lege professorum numerum constituit; nimirum romanae eloquentiae tres oratores, decem grammaticos; Graecae vero quinque sophistas et de-

(1) Affatus divinae sanctionis pro constitutionibus et rescriptis, vid. *Gloss. Theod.*

eeu quoque Grammaticos. His omnibus tres adhuc addidit, profundiorum scientiarum et doctrinarum, ut ipse ait, philosophiae scilicet et Jurisprudentiae. Unum tantum philosophiae, duos vero Juris professores constituit, quorum munus his verbis descripsit: qui Juris ac legum formulas pandant (1). Antea quidem Jureconsulti fuerunt publice, sed non publica auctoritate docentes, atque hac aetate eos in professorum publicorum numerum receptos videmus.

Ultimo loco hac lege jussit imperator, ut auditoria singulis professoribus darentur, « ne discipuli sibi invicem possint obstrepere vel magistri: neve linguarum confusio permixta, vel vocum, aures quorumdam aut mentes a studio literarum avertat. » De auditoriis eorum extat l. 53. C. Th. de operib. publicis, de qua lege paucis videndum est.

Professoribus in capitolio auditoria assignat in exsedris, quae septentrionali Porticui adhaerent, et quidem in illis exsedris, quae tam amplae et decorae videntur, ut professorum discipulorumque conventibus satis conveniant. Praeterea exsedras, orientali atque occidentali lateri adhaerentes, quaeque angustiores erant, atque a platea aditum et egressum (1) non ha-

(1) Tribonianus posuit *legum voluntatis*. Cf. omnino Gothofr. ad h. l.

(1) Quas nulla a platea aditus atque egressus patamen : *patamen* hujus saeculi vox, pro patente aditu atque egressu. vid. du Cange, Glossarium ad script. med. et infim. Latinit. V. p. 253.

6

bebant, ampliari velit, coemptis a legitimis possessoribus vicinarum cellularum spatiis.

Sex hujusmodi Porticus ea capitolii parte et regione fuerunt teste veteri urbis Constantinopolitanae descriptione, quae a Gothofredo in Commentariis ad h. l. laudatur; atque exsedrae in his porticibus erant loca non deambulandi populive gratia, ut ipsae porticus vel ipsa mediana in privatis coenaculis et habitationibus, sed loca prope porticus aedificata concessus causâ, multorum hominum coire, docere, disputare, audire cupientium. Plura de exsedris dabit Gothofr. in commentar laud.

Omnino cum iis legibus conjungenda est l. unic. Cod. Just. (1) ejusdem Theodosii imperatoris. Professorum conditionis egregiam rationem habuit Princeps, quippe qui constituit Grammaticos Graecos Helladium et Syrianum: Latinum Theophilum; Sophistas Martinum et Maximum et Jurisperitum Leontium (2) honorari Codicillis Comitivae ordinis primi: quod beneficium non iis tantum tributum est, sed omnibus, qui in regia urbe Constantinopolitana professionem suam exercentes, et inter statutos connumerati laudabilem in se probis moribus vitam esse monstraverunt, si docendi peritiam, facundiam dicendi, interpretandi subtilitatem copiamque disserendi se habere patefecerint,

(1) (XII. 15.) l. unic. Cod. Theod. cod. (VI 21).
(2) Cf. de iis Gothofr. ad. h. l.

et coetu amplissimo (1) judicante, digni fuerint aestimati: cum ad viginti annos observatione jugi, ac sedulo docendi labore pervenerint.

§ VII.

Justinianus.

Absolvimus hanc disputationis partem, in qua de Constitutionibus Imperatorum romanorum, quae in Codicibus Theodosiano et Iustinianeo inveniuntur, quaedam disseruimus; restat nunc ut de ipso Justiniano pauca moneamus.

Illum scholarum fortunam haud parum labefactasse, ait Conringius (2) laudana Joannis Zonarae verba (in Justiniano tomo 3.) « neque vero hoc duntaxat, sed et alia plura templa extruxit; ad quorum aedificationem cum infinitis egeret pecuniis, de consilio praefecti stipendia liberalium artium magistris olim constituta in omnibus urbibus sustulit, quas vacantibus literarum ludis rusticitas invasit. Eadem apud Procopium leguntur in hist. arcana, pag. 113.

Illa tamen minime convenire videntur cum imperatoris ardore ad juris studium promovendum, quippe qui scholam Romanam, Constantinopolitanam ac Bery-

(1) Id est, Senatu urbis Constantinopolitanae, cujus praeses erat Praefectus Urbi. *Gothofr.*
(2) Diss. I laud. in fine.

tensem confirmavit; atque in his solis jus doceri passus est.

Const. *Omnem reip.* tradit imperator, quaenam fuerit jurisprudentiam docendi ratio, eamque aliquo modo immutavit. Ex illâ constitutione quoque patet studiorum spatium quinquennium fuisse. (1) § 9. Cautum est ne juvenes, qui rudes ad scholas veniant, injuria afficiantur. Haec sunt verba. » Illud vero satis necessarium constitutum cum summa interminatione edicimus, ut nemo audeat, neque in hac splendidissima civitate, neque in Berytiensium pulcherrimo oppido, ex his qui legitima peragunt studia, indignos et pessimos, immo magis serviles et quorum effectus injuria est, ludos exercere, et alia crimina vel in ipsos professores, vel in socios suos et maxime in eos, qui rudes ad recitationem legum perveniunt, perpetrare:

(1) Dignus est, qui hoc loco audiatur Burmannus, Petronii satyricon. ad. cap. 4. initio pag. 23. Ed. alt. « Olim erat » definitum quadriennium, nec nisi qui probasset tantum se » temporis legum studiis impendisse, admittebatur in numerum » advocatorum l. 3 et 5 Cod. de advoc. div. judicum. Si quin- » quennium vel quadriennium illa aetate, qua mores et jura » et verba civilia faue erant notiora aut facilia perceptu, quid » non erubescimus ista? qua horrere spinis omnibus videntur » omnia, quaecumque de jure ab antiquis prodita sunt, vix » tamen in iis nos transigere triennium, plurimum vitio » parentum, qui, ut hoc loco Petronius ait, cum ad vota pro- » perant, cruda adhuc studia in forum propellant, et eloquen- » tiam, qua nihil esse majus profitentur, pueris induunt adhuc » nascentibus

quis enim ludos appellet eos, exquibus crimina oriuntur? hoc etenim fieri nullo patimur modo, sed optimo ordini in nostris temporibus et hanc partem tradimus, et toto postero transmittimus saeculo: cum oportet prius animas, et postealinguas fieri eruditas (1).»

Monendum quoque hoc loco est, in pragm. Sanctione Justiniani imperatoris memorari capitulum XXII. his verbis constans: « *Ut annona ministretur Medicis et diversis.* Annonam etiam quam et Theodoricus dare solitus erat, et nos etiam Romanis indulsimus in posterum etiam dari praecipimus; sicut etiam annonas, quae grammaticis ac oratoribus vel etiam medicis vel jurisperitis antea dari solitum erat, et in posterum suam professionem scilicet exercentibus erogari praecipimus, quatenus juvenes liberalibus studiis eruditi per nostram rempublicam floreant.»

Extat enim Athalarici Epistola apud Cassiodorum 21 lib. IX, unde discimus sub Gothis Romae artium liberalium professoribus, salaria data fuisse, quo pertinet quoque Libanii Epist. 225. ad Andronicum, Phoeniciae rectorem, a Gothofredo laud., quem adeas in Commentar. ad l. 1 Cod. Theod. de Profess. et Medicis. Tom. V. p. 31. Cassiodorus etiam significat, (teste Balduino in Comm. supra laud. ad l. 1. Constantini Magni tit. laud.) ipsos Gothorum reges, qui in Italia

(1) De juvenum illis temporibus petulantia operae pretium est legere loca Gregorii Nazianzeni, Photii, et Eunapii, quae descriptae inveniuntur apud Conring Diss. IV. pag. 121—125.

imperabant, paullo ante Justinianum, voluisse, salarii tardius persoluti etiam usuras deberi. Memoriae proditum est, eodem tempore fere, Leonem imperatorem, quum Eulogio philosopho tesseram frumentariam dari jussisset et quidam submurmurarent eam militibus potius esse dandam, exclamasse : utinam is sit aliquando temporum meorum status, ut militum quoque stipendia in literarum magistros transferre possem ! »

TANTUM

THESES.

I.

In illustranda historia Jurisprudentiae Romanae inprimis tenendum est, quam constanter Romani jus, quod a majoribus accepissent, servaverint: ita ut, mutatis moribus, non adeo abrogarent Jus Civile, sed supplerent, aut emendarent. Hinc inprimis illustrari debent Jus Praetorium, actiones utiles, Juris fictiones, Jctorum interpretationes.

II.

Jcti sententiae, quae occurrit l. 10 D. de usu et habitatione, *legatarium habitationem donare non posse*, non obstat l. 1. §. 1. D. commodati vel contra; ubi Vivianus ait, *habitationem etiam commodari posse.* Etenim sensus hujus legis non est, ut is, cuijus habitationis legatum sit, illud commodato concedere possit, sed agitur de habitatione constituenda, non de constituta, nti per legatum habitatio alicui concedi potest, ita et per commodatum.

III.

In l. 38. D. de minoribus 25 annis, dissentiunt Imperator Caracalla, et Paulus Jctus, utrum restitutio in integrum minori, quae se ipsa non obligaverat, concedenda sit, an minus. Restituendam esse minorem putavit Imperator, quae sententia aequitati convenit, neque a Jnris ratione abhorret.

IV.

In dijudicandis quaestionibus, quae e prohibi-

tione fideicommissorum oriri solent, omnino tenendum est, jurisprudentiam hodiernam ab interpretandi ratione olim in fideicommisis adhibita, et e principiis Juris Romani petita, magnopere differre; venit hoc e diversa, quae de fideicommissis invaluit, opinione: abhorret enim ab interpretationis praeceptis, admitti amplius eandem interpretationem extensivam, quae tantum Juri Romano conveniebat, propter insignem favorem fideicommissorum, postquam obligandi vim in Jure acceperant.

V.

Fideicommissa *de residuo*, quae dicuntur, non incidunt in substitutiones art 896. C. c. prohibitas. *De eo* tamen, *quod supererit* in testamento quoque statuere potest legatarius.

VI.

Testamento holographo, licet privata sit scriptura, ea a lege conciliata est fides et auctoritas, ut testamenti instar coram Tabellione facti, pla-

nam sui fidem faciat : nec satis habeant legitimi heredes chirographum non agnoscere, probandique onus in legatarios rejicere, sed ipsi probare debeant falsum esse testamentum.

VII.

Adscendentes tum demum in portionem, de quâ defuncto sec. art. 915. Cod. civ. statuere in testamento non licet, jus habent, quando possint ab intestato succedere. Hinc cessat hoc jus, in adscendentibus remotioribus, qui concurrant cum fratribus aut sororibus defuncti eorumve descendentibus.

VIII.

Ubi lex nullitates disertis verbis non praecipit, eae non sunt temere supplendae; — substantiales vero formae, quibus ommissis, lex finem propositum attingere nequit, sub poena nullitatis, expresse quamvis non statutae, observari debent.

THESES.

IX.

Patria potestas in Jure naturali nullum habet fundamentum.

X.

Secundum Jus naturale, qualemcunque damni reparationem laesus definiverit, ea a laedente praestanda est.

XI.

Ex articulo 63 Cod. poen. sequitur, ut is, qui celando criminis socius fit, — si reus non damnatur ad poenam vel mortis, vel operarum perpetuarum, vel deportationis, sed ad aliam poenam minus gravem, — minorem poenam implorare nequeat, etiamsi circumstantiarum aggravantium ignarus fuerit: quod iniquissimum duco.

Si vero reus, quia iterum deliquit, severius punitur, tunc certe socius ad eandem poenam condemnari non potest.

THESES.

XII.

Merito patria nostra postremâ sec. XVII parte libertatis, tam vitae civilis, quam religionis vindex fuisse dicitur.

XIII.

Quicumque omnem spem ponunt in commutanda reipublicae forma, teneant illi, non formam imperii, sed imperantium ingenia, ad reip. salutem inprimis valere.

XIV.

Uti civium securitas industriae favet, sic quoque major industria vicissim civium securitati favere videtur.

XV.

Singulae *industriae*, quae dicitur, species, agriculturae, opificiorum, et mercaturae, sibi invicem oppositae non sunt; itaque minime dici potest alterius incrementum, alterius incremento obstare.

THESES.

XVI.

Recte videtur judicasse Seneca (de Benef. II. 20) de Marco Bruto scribens, »mihi cum vir magnus fuerit in aliis, in hac re videtur vehementer errasse; qui aut regis nomen extimuit, cum optimus civitatis status sub rege juste sit; aut ibi speravit libertatem futuram, ubi tam magnum praemium erat et imperandi et serviendi.

XVII.

Qui Periclem reprehendere velit, hoc ei vitio vertat, eum non satis animadvertisse, nullum in civitate esse virum, qui post mortem ejus eâdem auctoritate apud populum valeret.

XVIII.

Plutarchus, comparans Lycurgum cum Numa Pompilio, minus recte Spartanum Romano praetulit, quod ad curam educandae juventutis attinet.

Aan mijnen Zoon

CORNELIS JOSEPH FRANÇOIS,

Bij zijne bevordering tot M^r in de beide Regten

Den 24 Junij 1834.

Ik heb mijn aandeel in de lasten van het leven!
Maar ook, wiens heil'lig pad wordt helderder bestraald!
Mij werd een' dierbre gunst in ruime maat gegeven,
En 'k voel den zegen Gods op 't mildst op mij gedaald.
Mijn eerst'ling! zij de dank aan 't Eeuwig Alvermogen,
En blijf uws vaders steun bij 't stomplen naar het graf;
Zoo moogt gij 's oud'ren vreugd met elken dag verhoogen,
En dankbaar zijn voor 't heil, dat u zijn liefde gaf!
Kom! moedig dan het spoor van Themis ingeslagen,
Die u op dezen dag haar frissche lauwren biedt,
En aan der Muzen hand gejaagd naar 't welbehagen,
Dat waarheid, regt en deugd in Themis koor geniet

D. FRANÇOIS.

Aan mijnen Vriend

C. J. FRANÇOIS,

Bij zijne bevordering tot doctor in de beide Regten

Den 24 Junij 1834.

Hoe? Zoudt gij op deez dag geen afscheidsgroet ontvangen,
Van hem, die zooveel zoets in uwe vriendschap vond?
Al mogt men ook met regt veel schooner toon verlangen,
Gij toch, dit voelt mijn hart, versmaadt niet wreed de zangen,
Van mijnen zwakken mond.

Al stamelt dan mijn' stem, ik let op geen bezwaren,
Nu u eene eerkroon siert, door 't Musental gehecht.
Door 't edel Musental, dat van uw vroegste jaren,
Uw' levensboot omgaf, en, trots de woeste baren,
Haar hulp heeft toegezegd.

Geluk dan, dierbaar vriend! in de achtbre tempelchoren,
Waar men voor Themis' eer den heilgen wierook brandt;
Doe, werwaarts 't lot u voert, de taal van 't onregt smoren,
En overal uw stem voor wet en orde hooren,
Aan Oost- of Westerstrand.

Maar wil op uwen weg toch nooit de vreugd vergeten,
Op 't aangename veld der letteren geplukt;
Herinner u nog stäg, hoe, bij elkaâr gezeten,
Wij spraken van Homeer, van Griekenlands poëten,
Aan Lethe's stroom ontrukt.

Herdenk nog menigmaal die heerlijke avondstonden,
Als wij, door al den roem van 't Vaderland ontgloeid,
Een ander Marathon op elken plek schier vonden,
En juichten, dat de palm, waar Hollands strijders stonden,
Was aan hon vaan geboeid.

Mogt Rome dan weleer aan kennis krijgsroem paren,
Haar naam gehuldigd zien tot op het Britsche strand.
Een volk mogt, na haar val, die grootheid evenaren,
En het verbaasd Europ bleef op den luister staren,
Van 't heerlijk Nederland.

Mijn vriend! mogt deze roem u steeds voor de oogen zweven,
Zoo drukt ge met ontzag dien adelijken grond;
Een dankbaar eergevoel blijft immer op u kleven;
Gij voelt dan, wat het zegt onder een volk te leven,
Dat nooit zijn wedrga vond.

O! worde heel ons hart door dat gevoel bewogen,
En voeren we overal dat schoone denkbeeld meê;
Dan zal de staat op ons, als trouwe burgers, bogen;
En gij..... smaak thans genot voor zooveel ijvrig pogen,
En steek gerust in zee.

't Zij dan eene onweêrsvlaag u noopt het zeil te reven,
Te schuilen voor een' storm, die 't schip verbrijzelen zou,
Het zij uw vaartuig mag, al dobberend, voorwaarts streven,
Wend volgens het kompas oplettend uwen steven:
Blijf aan uw' pligt getrouw.

En dreigt een woeste orkaan zelfs 't hulkje te verpletten,
Waarnaar een afgrond grijnst met opgesparde kaak:
O! wil dan op Gods hulp geheel ootmoedig letten;
Hij zal uw leidsman zijn, u van 't gevaar ontzetten,
Zie slechts op Hem, als haak.

C. H. B. BOOT.
Jur. Cand.